DIARIVM NAVTICVM,

ſeu

VERA DESCRIPTIO

Trium Navigationum admirandarum, & nunquam auditarum, tribus continuis annis factarum, à Hollandicis & Zelandicis navibus; ad Septentrionem, ſupra Norvagiam, Moſcoviam & Tartariam, verſus Catthay & Sinarum regna: tum ut detecta fuerint VVeygatz fretum, Nova Zembla, & Regio ſub 80. gradu ſita, quam Groenlãdiam eſſe cenſent, quam nullus unquam adijt: Deinde de feris & trucibus vrſis, alijſque monſtris marinis, & intolerabili frigore quod pertulerunt. Quemadmodum præterea in poſtrema Navigatione navis in glacie fuerit concreta, & ipſi nautæ in Nova Zembla ſub 76. gradu ſita, domum fabricarint, atque in ea per 10. menſium ſpatium habitarint, & tandem, relictâ navi in glacie, plura quam 380. milliaria per mare in apertis parvis lintribus navigarint, cum ſummis periculis, immenſis laboribus, & incredibilibus difficultatibus.

Auctore GERARDO DE VERA Amſtelrodamenſe.



AMSTELRODAMI,

Ex officina Cornelij Nicolaij, Typographi ad ſymbolum Diarij, ad aquam.

Anno M. D. XCVIII.

ILLVSTRI VIRO IOANNI VINCENTIO PINELLO,

C. C. A.

NOn dubito, illustris Pinelle, quin magnam voluptatem ceperis lectione Diarij Nautici, superiore Aprili à me tibi missi, quo Batavorum Navigatio ad Iavam maiorem describitur, eaque prima quam versus Orientem tentare ausi sunt, non sine multorum admiratione, & plurimorum invidiâ ægre ferentium, illam Navigationem ab ijs etiam esse susceptam & satis feliciter peractam, quos perditos cuperent. Ipsi tamen, non contenti, se eius Navigationis notitiam percepisse, quæ hactenus trita & familiaris fuit solis Lusitanis, aliam porrò adgressi sunt, quâ per Septentrionem in Orientem pervenire possent, penetrato VVeygatz freto (quod Nassovicum in Illustrissimorum Nassoviorum honorem appellarunt) Novam Zemblam à Russia separante, & superatis glaciali mari, Promontorio Tabin, ipsaque adeo magnâ Tartaria. Et licet tribus continuis annis navigationes diversæ fuerint institutæ magno fortique animo, voti tamen compotes fieri nequiverunt, ob multas variasque difficultates quæ illis obortæ sunt.

Eas porrò Navigationes vernaculo huius Provinciæ sermone conscripsit, qui postremis duabus interfuit, atque hoc anno publici iuris fecit. Exemplar nactus, eius lectione mirificè sum delectatus, ob magnã rerum, quæ eo libro continentur, varietatem: cumque non dubitem, quin æqualem voluptatem sit tibi allatura, si sermone, quem intelligas, scriptus esset, pro ea quæ inter nos est amicitia, inque tuam gratiam, succesivis horis Latinum facere volui, existimans plerisque etiam alijs non ingratum hunc laborem futurum, qui Belgicæ linguæ sunt ignari.

Nam licet valde celebrata sit à Veteribus Argonautarum navigatio: si tamen cum istâ conferatur, ludus censebitur. Quis enim, ante Hollandos, per 13. mensium spatium, ab omni hominum consortio segregatus, rerum omnium inopia pressus, rigidissimo cœlo intensissimum gelu pertulit, sub Poli arctici 76. graduum altitudine in vasta solitudine ædes fabricavit, in quas se reciperet, ut ab aëris inclementia se tueretur, in illis ipsis identidem altissimâ nive sepultus, ac totis fere decem mensibus inclusus? Quis navem densissima glacie constricta deserere coactus, per quadringēta pænè milliaria scapha non tecta sese tam sævo mari committere ausus fuit, subinde in glaciei fragmenta adeo vasta & ampla incidens, vt in illa totam supellectilem exponere, deinde super illa scapham moliri, postremo, per aliquot centenos passus pertrahere non semel oportuerit, donec ijs superatis denuo in apertam aquam & glacie minime adstrictam perveniri posset? Taceo feroces, truculentos & ingen-

tis magnitudinis ursos, atque beluas marinas, cum quibus sæpenumero fuit dimicandum. Omnes tamen has ærumnas, labores & admirandas difficultates forti magnoque animo superarunt, non sine benigna Divini numinis protectione & favore, ut ex huius Diarij lectione cuilibet manifestum erit.

Vt verò hic Auctor describendum suscepit, quid singulis pænè diebus eis acciderit, necessario pleraque fuerunt illi repetenda, ventorum nimirum mutationes, cæli regiones ad quas convertēda vela: sæpe etiam nauticis vocabulis utendum ipsi fuit, ad ea quæ volebat melius exprimenda: quæ tamen omnibus nota non sunt, præsertim illis qui Navigationibus non sunt assueti, aut cum Nautis raro sunt versati. Eam ob causam difficile fuit puro sermone Latino omnia exprimere, sed quasi ad verbum fuerunt reddenda, imo pleraque etiam circumlocutione explicanda.

Boni igitur consulas rudem atque impolitam hanc meam versionem, fidam tamen, plurimum te rogo, atque à Deo opt. max. diu incolumem servari te opto, Lugduni apud Batavos nonis Iulij M. D. XCVIII.

NAVI-

NAVIGATIONIS AD SEPTENTRIONEM PRIMA PARS.

QVEMADMODVM vix quidquam excogitari aut inveniri potest, quod publicæ utilitati magis conferat (præsertim in his regionibus) quàm ars navigatoria; quoniam qui potêtes mari sunt, ad se pertrahere queunt omnia usui necessaria, tum terræ fructus, ad vitam sustentandam. Nam ista ratione ab extremo orbe omnia sibi necessaria advehere possunt, & contra eo evehere ea quibus abundant, quæ omnia per Navigationis commoditatem nulla difficultate exequi licet. Vt porro Navium apparatus in dies paulatim augescit (non modo cum admiratione eorum qui navigationem & apparatum navium, nostrorum avorum tempore conspexerunt, sed etiam eorum, qui nostra memoria factam, cū ea quæ nunc fit, conferunt) sic etiam singulis diebus novæ navigationes instituuntur; quæ non prima, secunda, aut tertia vice, sed postea duntaxat ad optatum finem perducuntur, & tum demū navigationum earum fructus percipiuntur. Neminem igitur tædere oportet laboris & difficultatum quæ impenduntur, tametsi non prima navigatione, sed altera duntaxat, vel etiam tertia, aut etiam tardiore demū consequatur desideratum finem. Nam quis labor utilior & laudabilior censendus est, eo qui ad communem utilitatem impenditur; licet insipientibus, cavillatoribus & calumniatoribus initio inanis conatus appareat; quando eius finis utilem exitum habet? Si enim præclari illi Naucleri Columbus, Cortesius, & Magellanus, atque alij plerique qui procul dissitas regiones & regna detexerunt, prima, secunda, aut tertia profectione, quæ illis incommode cessit, institutum deseruissent, sui laboris fructum nullum postea fuissent consequuti.

Vt Navium apparatus in dies melior fit, sic etiam plures novæ regiones detegūtur.

Diligens cōtinuatio optatum finem adquirit.

Calumniatorib. omnia displicent.

Alexander magnus, post quam à Græcia minorem & majorem Asiam occupasset, & in extrema India in magnas difficultates incidisset, quodam loco dicit: Nisi tentassemus ea quæ aliis videbantur impossibilia, in Ciliciæ limitibus adhuc hæreremus, cū nunc omnes has amplas regiones occupaverimus. Nihil enim simul inventum & ad perfectionem perductum est, nihil simul inceptum & absolutum. In hanc sententiam Cicero præclarè dicit; Deus uni viro non concessit omnia, ut posteris relinqueretur in quo se exercerent. Propterea in medio cursu consistendum non est, quamdiu aliquid superest quod ad rem faciat, aut sperari potest: nam maiores thesauri inventu difficiliores sunt. Sed, ne longius à proposito discedamus, quantum ad quotidianam procurationem utilis Navigationis, quæ non sine magnis impensis, difficultatibus & laboribus absoluta fuit, supputatione facta, post quam longos & difficiles labores, & diuturnas cōtinuationes, Navigatio in Orientalem & Occidentalem Indiam, Americam, Brasiliam, & plures alias Provincias, per fretum Magellanicum, & australe mare, superando semel atque iterum æquatorem, atque alias præterea inauditas regiones & insulas demum sit peracta. Consideremus Album mare, in quo nunc adeo frequens est navigatio, ad Septentrionalem Moscoviæ partem, cum quanta solicitudine & periculo fuerit illud initio apertum. Quid eam navigationem nunc adeo vulgarem & facilem effecit? nonne eadem & perinde longa navigatio est, quæ fuit ante quam probè cognita & peracta esset? est sane, sed rectus cursus qui ante investigandus fuit per obliquas navigationes maris ex una Provincia in aliam, & nunc directè institui potest, istam navigationem ex difficili facilem reddidit.

Impossibile videtur cujus non est factum periculum.

Omnia cū perseverātione tandē acquirūtur.

Quod initio difficile & arduum videtur, assiduitate leve fit.

Hæc pauca ad Lectoris brevem institutionem præfari libuit, quia tres Navigationes ad Septentrionem describere constitui, quæ nunc tribus continuis annis susceptæ sunt ultra Norvvegiam & Moscoviam, versus regna *Cathay* & *Sinarum* (quarum duabus postremis interfui) tametsi non habuerint eum exitum quem speraveramus. Primum, ad demonstrandum nostrum diligentem & sedulum laborem in conquirēdo recto cursu, quem assequi nequivimus, ut sperabamus & optabamus, & forsitan etiam consequuti fuissemus per obliquas navigationes, si rectum tramitem tenere potuissemus, quem & glacies, & temporis angustia, & graves tempestates impedierunt. Deinde, ad obturandum os illis, qui nostrum conatum inutilem & infrugiferum esse aiunt, in posterum tamen utilitatem fortasse allaturum. Nam minime ridendus est is qui illud tentat quod impossibile videtur: sed is qui ob socordiam nihil tentare vult, quia fieri non posse videtur. Comperimus quidem maximum impedimentum obiectum esse nostræ navigationi, abundante glacie, quam circa *Novam Zemblam* ad elevationem 73. 74. 75. 76. habuimus, non autem adeo magnum, in ipso mari inter utramque terram: unde apparet, non Poli Arctici vicinitatem, sed glaciei in Tartaricum mare influentis & refluentis circa *Novam Zemblam* maximum frigus nobis intulisse. Cum igitur Poli vicinitas maximo frigore nos non affecerit, si institutum cursum prosequi licuisset, ad aquilonem forte aliquem transitum reperire potuissemus, quem cursum à *Nova Zembla* tenere non potuimus, quia istic in glaciem incidimus, & qualis esset constitutio

Inventio ardua est, imitatio vero facilis.

Non Poli arctici vicinitas, sed glacies ex Schytico mari profluens, majorem frigoris rigorē infert.

 circa

circa *Novam Zemblam* ſcire nequivimus, donec periculum feciſſemus, atque cum iam nos experti eſſemus, noſtrum curſum mutare non licuit: nihilominus incertum eſt quid nobis contingere potuiſſet, ſi ad Arctapeliotem curſum direxiſſemus, quia nemo adhuc iſtam navigationem tentavit. Verum quidem eſt, in ea regione quæ Polum 80. gradibus elevatum habet (quam Groenlandiam eſſe arbitramur) frondes & gramen creſcere, quibus animalia graminivora ut rangiferi, cervæ, & ſimilia veſcuntur, contrà autem in *Nova Zembla* nec frondes, nec gramen creſcit, in qua etiam nulla animalia præter carnivora reperiuntur, qualia urſi vulpes, tametſi *Nova Zembla* à Polo verſus Auſtrum 4.5. aut 6. gradibus magis tendat quàm regio alia ſupra dicta. Præterea notum eſt ad auſtrale & boreale latus æquatoris, Solem utrinque, inter ambos Tropicos 23. graduum elevatione cum

Caloris ſub Æquatore & frigoris ſub Polo arctico comparatio.

ſemiſſe, perinde calidum eſſe atque ſub æquatore. Quid igitur mirum ſi circa Polum arcticum utrinque æqualibus gradibus non minor eſſet frigoris rigor quam ſub ipſo Polo? Iſtud non propono tanquam certum, quia frigoris in utroque latere Poli arctici non eſt factum experimentum, quemadmodum caloris in auſtrali & boreali parte æquatoris. Hoc duntaxat inferre volo, quod cum nos propoſitum & directum curſum ad Arctapeliotem non tenuimus, non ſit propterea judicandum, frigus navigationem noſtram iſtac impedituum: non enim mare, nec Poli vicinitas, ſed glacies circa continentem reperta impedimentum nobis attulit, ut dictum eſt. Nam illico atque à continente in mare pervenimus, tametſi Polo viciniores facti, ſtatim calorem denuo ſenſimus. Atque ob iſtam ſubitam mutationem extinctus eſt noſter Nauclerus Wilhelmus Barnardi f. qui non obſtante moleſtiſſimo & in-

Magnanimum inſtitutum Wilelmi Bernardi f.

tolerabili frigore quod perpeſſus erat, animum tamē nō deſpondebat, ſed aliquoties cum multis noſtrûm pignore decertare voluit, ſe inſtitutum iter (Dei auxilio) abſoluturum, cum curſum à Promontorio boreali verſus Arctapeliotem dirigeret. Sed his omiſſis, ad deſcriptionem prædictarum trium Navigationum nos accingemus, quæ auctoritate & promotione Potentium ordinum generalium harum confœderaturum Provinciarum, & Illu^mi Principis Mauritij, Principis Auraici, tanquam Præfecti maris, & celebris Emporij Amſterodamenſis ſuſcepta & perducta eſt uſque ad ea loca quæ enarrabuntur: ex qua Lector in ſuam utilitatem haurire poterit, quæ vel amplectenda vel fugienda exiſtimabit.

Primum igitur Anno M. D. XCIIII. quatuor naves inſtructæ, binæ Amſterodami, una in Zelandia, atque una Enchuſæ, ad aperiendam commodam navigationem ad Regna *Cathay* & *Sinarum* poſt Borealem Norwegiam, Moſcoviam, & Tartariam, quarum binis Amſterodamenſibus præfectus fuit Wilelmus Bernardi f. Nauclerus præſtans, celebris & valde exercitatus, & Amſterodamo ipſo Pentecoſtes die verſus Texeliam vela fecit.

5. Iunij. V. Iunij ex Texela vela fecerunt, & proſpero curſu Kilduinum in Moſcovia XXIII. eiuſdem menſis pervenerunt: cum autem ea navigatio ſit ſatis nota, de ea plura dicere ſuperſedebimus.

29 Iunij. XXIX. Iunij hora quarta pomeridiana velificarunt ex Kilduino, & initio curſum direxerunt ad Arctapeliotem per XIII. aut XIIII. milliaria flante circio, atque obſcuro cœlo.

30. Iunij. Deinde vela converterunt verſus Cæciam XXX. Iunij. uſque ad Solis ſitum in Euro ad VII. milliaria, Aparctio flante duobus maioribus velis ſine appendicibus expanſis iſtic jacta bolide ad centum Orgyias altitudinem maris perquirere non potuerunt.

Eodem die navigerunt uſq; ad meridiem verſus Meſocæciam ad quinque milliaria, flante Aparctia cum duobus majoribus velis demptis appendicibus ibidem jacta bolide ad centum Orgyias, fundum non repererunt. Continuata navigatione illo ipſo die à meridie uſque ad veſperam, verſus Subſolanum & Meſocæciam donec Sol eſſet in Arcto Zephyro ad 13. milliaria; jacta bolide invenerunt profunditatem 120. orgyiarum, fundo lutoſo paluſtri.

IVLIVS 1594.

1. Iulij. I. Iulij navigatione facta ad quatuor milliaria, verſus quartam partem Subſolani & Meſocæciam, jacta bolide ſummo mane, fundum invenerunt ſexaginta orgyiarum arenulis paluſtribus conſtantem.

Hora proxime ſubſequente, jacta bolide, fundus inventus 52. orgyiarum arenæ albæ nigro permixtæ aliquātum paluſtris. Deinde navigatione per tria adhuc milliaria verſus MeſoCœciam, fundus inventus 40. orgyiarum cineraceæ arenæ nigro permixtæ.

Deinde navigatione ad duo milliaria verſus Orientem ſive Subſolanum facta, repererunt fundum XXXVIII. orgyiarum arenæ rubentis nigro permixtæ Sole in Meſeuro exiſtente, Borea flante.

Inde navigatione inſtituta verſus Hypereurum & Vulturnum ad tria milliaria uſque ad meridiem, cum Solis altitudo fuit 70. graduum & dodrantis, & bolide jacta, fundus repertus 39. orgyiarum conſtans ex arenulis cineracei coloris punctis nigris diſtincti & concharum fragmentis.

Deinde continuato curſu ad Notapeliotem per bina milliaria, cum converterunt ad Septentrionem flante Cæcia, & vela fecerunt à tertia pomeridiana, donec Sol in Circio eſſet verſus Arctapeliotem per 6. milliaria, flante Notapeliote cum ingente frigore, jactaque bolidē fundus repertus 60. orgyiarum conſtans arenulis cineraceis paluſtribus & aliquantulum nigricantibus cum magnis cavis conchilijs.

2. Iulij. Eodem adhuc veſpere navigatum uſque ad primū quadrantem Cæciæ & Hypercæciam per quinque milliaria, deinde illo ipſo curſu ſervato uſque ad ſecundam Iulij mane per quinque milliaria, repertus fundus circiter 65. orgyiarum paluſtris nigri luti.

Deinde

Deinde navigatum ab aurora ad meridiem usque servato cursu versus Cæciam per tria aut quatuor milliaria, Notapeliote impetuose flante, adeo ut dolonem eximere oporteret, & cum unico velo dempto orthiace fluctuare nebuloso aëre ad vesperam usque per tria aut quatuor milliaria, servato cursu ad Subsolanum, & Hypereurum: deinde converso vento in Notozephyrum, circiter quintam pomeridianam jacta est bolis ad 120. Orgyias, nec repertus fundus.

Sub vesperam aëris facta est serenitas, & navigatum secundo vento Cæcia tribus horis fere per quinque milliaria, tum denuo aër tectus nebulis, ut progredi non auderent, & conversione facta ad ventum, bolis jacta ad 125. orgyias fundusque repertus nigri luti. Id factum die Dominico mane tertia Iulij, cum Sol in Arctapeliote esset. 3. Iulij.

Inde navigarunt versus Cæciam per octo milliaria, donec Sol esset in Notapeliote, & jacta bolide ad 140. orgyias fundus repertus lutosus niger, tum sumpta Solis altitudine, inventa est 73. graduum & 6. minutorum atque illico jacta bolide ad 130. orgyias, repertum nigrum lutum.

Postea adhuc navigatione facta versus Cæciam per sex aut septem milliaria, donec Sol esset in Arctozephiro.

Dominico die qui incidit in 3. Iulij fuit valde serenus aër: & ventus Notozephyrus, *Willelmus Bernardi f.* verum meridianum inquisivit hac ratione.

NOTA.

Solis altitudinem radio astronomico dimensus est, cum esset in Notapeliote, ubi eum exaltatum invenit 28. gradibus cum semisse, & prætergressus erat Mesargestem cum eandem altitudinem 28. cum semisse supra Horizontem adhuc obtineret, ut differentia duntaxat esset quinque rhomborum cum semisse, qui divisi, remanent adhuc duo rhombi & tres quadrantes rhombi, sic ut pyxis nautica immutata esset binis rhombis cum tribus rhombi quadrantibus, ut eodem die apparuit, cum Sol in summa sua exaltatione esset medio situ inter Austro africum, & Hyperlybonotum: nam Sol antequam occumberet pervenerat ad Hyperlybonotum, & compererat 73. graduum altitudinem & 6 minutorum. Denuo navigatum versus Mesoæciam per quatuor milliaria usque ad diem quartum Iulij mane, tum jacta bolide ad 125. orgyias, repertus fundus lutosus: Noctem sequentem occuparunt nebulæ, & aurora Subsolanus flavit. Deinde navigarunt versus Hypereuronotum, donec Sol in Oriente esset, & jacta bolide ad 108. orgyias, nigrum lutum repertum. Tum se ad Septentrionem convertentes, navigarunt versus Boream, & Mesaboream per sex milliaria, donec Sol Austro-Africum attigisset, tum conspecta *Nova Zembla* sex aut septem milliaribus ab eis dissita versus Meseurum istic fundus lutosus niger repertus 105. orgyiarum. 4. Iulij.

Deinde converso cursu ad Austrum navigarunt versus Mesolybonotum per sex milliaria usque ad Solem existentem in Cauro, ubi profunditas 68. orgyiarum, terra lutosa ut præcedens, ventus ab Notapeliote.

Postea converso cursu ad Orientem, navigarunt versus Hypereurum per sex milliaria. Tum *Willelmus Bernardi f.* dimensus est Solem quarta Iulij sub vesperam astronomico suo radio, cum eius esset infima declinatio, videlicet inter Boream & Mesocæciã; cuius elevatio erat supra Horizontẽ sex gradibus & triente: ejus declinatio erat 22 grad. & 55. minutorum, ex quibus deducta elevatio, remanent 16. gradus 35. minuta seu scrupuli, quæ subducta è 95. remanent 73. gradus minuta 25. Id factum est circiter quinque aut sex milliaria à *Nova Zembla*. Nota.

Rursus converso cursu ad Orientem & navigantes versus Hypereurum & vulturnum per quinque milliaria, pervenerunt ad oblongum cuneum, cui dederunt nomen *Langenes*, atque in ipso cuneo versus Orientem erat magnus Sinus, in quem ingressi cum cymba continentem petierunt, sed nulla hominum vestigia observata. 5. Iulij.

Tribus aut quatuor milliaribus à *Langenes* versus Cæciam erat humilis angulus sive cuneus, & uno miliari ad orientem ejus cunei, magnus Sinus; atque ad orientem ejus Sinus scopulus paulum supra aquam eminẽs, ad occidentem vero ejusdem Sinus, acuminatus collis ad commodè dignoscendum. Ante Sinum profunditas erat 20. orgyiarum, & fundus nihil nisi parvi nigri lapilli magnitudine pisorũ. A *Langenes* usque ad Promontorium humile, appellatum Capo baxo, versus Cæciam, sunt quatuor milliaria.

A *Capo Baxo* usque ad Occidentalem angulũ Sinus dicti *Lombsbay* versus Hypercæciam, sunt quinq; milliaria, inter quæ bini anfractus. *Lombsbay* amplus est Sinus, ad cujus Occidentale latus egregius est portus sex, septem, octo orgyias profundus, arena nigra: istic cum liburnica excensionem fecerunt, & posuerunt in signaculum veterem malum, quem istic repererunt. Hunc Sinum *Lombsbay* appellaruat à genere quodam avium *Lomls* nuncupatarũ, quarum istic magnam frequentiam invenerunt.

Orientale cornu Sinus *Lombsbay*, humile est & ignobile, cui vicina est parva Insula in mare protẽsa: erat præterea ad Orientem ejus humilis cornu, latus & amplus anfractus. Sinus vero iste *Lombsbay* 74. graduum cum triente altitudinem habet.

A *Lombsbay* ad cornu Insulæ cui Admiralitatis nomen dederunt, vela fecerunt versus Mesoboream per sex aut septem milliaria. Admiralitatis porrò insula inelegans est ad Orientale latus, sed procul plana, longoque spatio fugienda. Præterea valde inæqualis est, uno enim iactu inveniebatur profunditas 10. orgyiarum, statim altero duntaxat 6. & subito deinde to 11. 12. & æstus ingentem strepitum edebat in pulvinis.

Ab Orientali latere Admiralitatis Insulæ ad Promontorium nigrum navigarunt Cæciam versus circiter quinque aut sex milliaria. Vnõ milliari extra Promontorium nigrum fundus erat lutosus quemadmodum in Pamphio ad

ad 70. orgyias. Recta ad Orientem Promontorij nigri ſunt bini acuminati montes in Sinu, qui facile dignoſci poſſunt.

6. Iulij. VI. Iulij, Sole In Aparctia exiſtente pervenerunt juxta Promontorium nigrum claro & nitido cælo: ſitum autẽ eſt 75. graduum altitudine & 20. minutis.

A Promontorio nigro uſque ad Willelmi Inſulam navigarunt per ſeptem aut octo milliaria verſus Cæciam, ubi repererunt parvam Inſulam circiter dimidio milliari inter utrumque.

7. Iulij. VII. Iulij diſceſſerunt à *Willelmi* Inſula, & *Willelmus Bernardi f.* magno ſuo aſtrolabio ſcrutatus eſt Solis altitudinem, quam comperit eſſe ſupra Horizontem in Hyperlibonoto 55. graduum 5. minutorum eius declinatio erat

Nota. 22. graduum 49. minutorum, quæ conjuncta cum 55. gradibus & 5. minutis, ſimul conficiunt 75. gradus 54. minuta. Hæc erat vera altitudo Poli ejus Inſulæ. In eadem Inſula repererunt multa ligna fluitantia & frequentes Roſmaros *Walruſſchen* à nautis appellatos, beluas in mari commorantes magnosque dentes habentes, quorũ uſus eſt Eboris loco. Iſtic etiam bona Navium ſtatio 12. aut 13. orgyiarum, tuta ab omni vento, præterquam ab Africo atque Favonio: ibi etiam repererunt fragmentum navis Ruſſicæ.

8. Iulij. VIII. Iulij habuerunt ventum Cæciam & cælum nebuloſum.

9. Iulij. IX. Iulij navigarunt in *Vrſi* propugnaculum dictum, ſub *Willelmi* Inſula in navium ſtationem, ubi repererunt urſum album: quo conſpecto, ſtatim nautæ in ſuam ſcapham ſeſe receperunt, atque globo traiecerunt: nihilominus urſus admirabiles vires demonſtravit quæ ſere omnium animalium vires ſuperant, quales neque de Leone, neque de alia quavis feroce ferà unquam auditæ ſunt: nam licet globo traiectus, aſſurgens tamen & in aquam deſiliens enatabat, ipſi autem nautæ ſcapham remis agentes eũ perſequuti ſunt, & laqueo in collum eius iniecto, ipſum trahentes ad navem, remigantes redibant: quia cum ſimilem urſum nunquam conſpexiſſent, arbitrabantur ſe eum vivum in navem pertracturos, & deinde in Hollandia pro monſtro demonſtraturos: ſed ille ſuas vires

Hac Chorographia declarat Navigationem à Kildwyn uſque ad Aurangiæ inſulam ad quam Willelmus Bernardi f. prima navigatione pervenit, donec domum rediret, in qua Portus eſt Lomſbay dicti ſimus, qui nomen obtinuit ab avibus magna frequentia iſtic inventis, corpore quidẽ magnis ſed parvas alas habentibus, ut mirum ſit parvas alas gravia illa corpora attollere poſſe. Nidulantur in præruptis montium locis, ut ab animalibus tuta ſint: unicum duntaxat ovum ponentes. Ab hominibus nihil metuebant; etiam ſi in ſuo nido comprehenderentur, reliqua vicina non avolabant.



Delineatio Willelmi insulæ, Crucigeræ insulæ, Propugnaculi Vrsi, in quo ursus admirandas vires & animositatem demonstravit, licet enim globo traiectus esset, scapham [illegible] cum nautis qui inerant pene perdidit: sed mirabili casu retentus fuit, & nautæ liberati, qui illum postea mactarunt & pellem detraxerunt.



adeo exeruit, ut pro beneficio acciperent se ab eo liberatos, & ejus pelle contenti fuere. Nam tales clamores edidit
& tales vires exeruit, ut vix referri queant: itaque eum quiescere aliquantulum relinquentes, & funem, quo reli-
gatus erat laxantes, sensim eum traxerunt, ut defatigaretur: & *Willelmus Bernardi f.* interdum fuste eum percutie-
bat: sed ursus adnatans ad scapham, pedem in eam iniecit, tum *Willelmus*, paulum quiescere vult, inquit, sed aliud
cogitabat ursus nam tanto impetu in scapham incubuit, ut jam dimidio corpore in illam conscenderet: quare
adeo consternati fuerunt, ut in anteriorē scaphæ partem profugerent, & fere de salute desperarent; sed admirabili
casu liberati fuerunt, quia funis seu laqueus ipsius collo injectus paxillo clavi sive gubernaculi inhæsit, ut ulterius
progredi nequiret, atq; ita retineretur. Eū itaq; ita implicatū quidā ex nautis animū recipiens ex anteriore scaphæ
parte redijt, & dimidia sarissa ursum protrusit ut in aquam relaberetur, & remigantes versus navem ipsum pono
trahebāt, donec porsus viribus destitueretur, tū eum mactantes, excoriarūt, & pellem Amsterodamū retulerunt.
x. Iulij à Propugnaculo ursi Insulæ *Willelmi* vela fecerunt, & eodem die mane, ad insulam Cruciferam perve-
nerunt, ad quam cum liburnica appulerunt, sed eam sterilem & valde saxosam repererunt: ibi inventum exiguum 10. Iulij.
portum cum liburnica remigantes ingressi sunt. Hæc autem insula circiter milliare longa ab Oriente in Occidentē
porrecta: ad Occidentē habet saxeam lingulā pæne 3. partē mill. longā, ad ortum verò aliā etiam saxeam lingu-
lam. In eadem insula binæ sunt magnæ cruces, eaque distat à continente fere 2. magnis milliaribus, & sub Orien-
tali angulo est cōmoda Naviū statio ad 26. orgyias fundo firmo & propinquiore littori loco, ad 9. sabuloso fundo.

Ab insula Crucifera usque ad cuneum *Nassoviensem* navigarunt versus Subsolanum & Mesocæciam per 8. cir-
citer milliaria. Humilis & planus est iste cuneus, quem fugere oportet, quia istic sunt brevia 7. orgyiarum procul à
continente; situs autem est circiter 76. gradum & semissem.

Ab Occidentali fine *Willelmi* Insulæ usque ad Insulam Cruciferam sive Crucis, sunt tria milliaria; cursus dirigē-
dus versus Arctapeliotem.

A cuneo *Nassoviensi* vela dederunt versus Hypereurū & Vulturnum per quinque milliaria, tum existimantes se
terram conspicere ad Hypercæciam sibi obiectam, eo navigarunt per quinque milliaria cursum versus Arctapelio-
tem dirigentes, ad eam observandam, putabant enim aliam terram esse ad Septentrionalem *Novæ Zemblæ* partem

B situam

ſitam: ſed exorto tam vehementi vento ab occidente, ut ſummum velum ſive Thoracium deducere deberent, etiam cùm magis inſurgeret ventus, omnia vela ſtatim colligere oportuerit, atque mare adeò concitatum erat, ut per ſedecim horarum ſpatium ſine velis ferrentur verſus Cæciam per octo aut novem milliaria.

11. Iulij. XI. Iulij magno undarum fluctu eorum navis actuaria fuit depreſſa, & amiſſa, delatique ſunt ſine velis, curſum dirigentes verſus Hypereurum per quinque milliaria, & cum Sol pæne eſſet in Notapeliote, converſus eſt ventus in Arctozephyrum, cepitque tempeſtas aliquantulum ſedari: ſed cælum valde nubiloſum. Tum deinde ſublatis velis navigarunt, donec Sol ſub noctem in Hyperborea eſſet, per quatuor milliaria, ubi profunditas erat 60. orgyiarum lutoſo fundo, atque animadverterunt glaciei fragmenta.

12. Iulij. XII. Iulij ſeſe converterunt ad Occidentem, curſum dirigentes verſus Arctozephyrum, & navigarunt milliare nebuloſo aëre flante Arctozephyro. Deinde navigarunt verſus Africum, ad inveſtigandam navem actuariam per tria aut quatuor milliaria, curſum ſæpe convertentes. Poſtea converterunt ſe denuo ſecundum venti flatum & navigarũt per quatuor milliaria verſus Notapeliotem, donec Sol eſſet in Notozephyro, tum pervenerunt proximè ad Continentem *Novæ Zemblæ* quæ extenditur à Meſocæcia ad Hyperlybem. Inde denuo ſe converterunt, uſque ad tertiam pomeridianam per tria milliaria verſus Hyperthraciam.

Navigarunt præterea à tertia pomeridiana, donec Sol eſſet in Arctozephyro, per tria milliaria, curſum tenentes verſus MeſoThraciam. Tũ converterunt ſe ad Orientem, & vela fecerunt per quatuor aut quinque milliaria verſus Hypercæciam.

13. Iulij. XIII. Iulij nocte inciderunt in magnam glaciei quantitatem, quam latè ex corbe proſpicere potuerunt, ut totum æquor eſſet glacie conſtratum, propterea convertentes ſe à glacie ad Occidentem, navigarunt circiter quatuor milliaria curſum tenentes verſus Africum, donec Sol perveniſſet ad Meſocæciam, & *Novæ Zemblæ* continentẽ conſpicerent ſibi obiectum ad Euronotum.

Deinde denuo ſe convertentes ad Aparctiam navigarunt donec Sol eſſet in vulturno per bina milliaria, atque rurſus in plurimam glaciem inciderunt, deinde vela facientes curſum tenuerunt verſus Hyperlybonotum per tria milliaria.

14. Iulij. XIIII. Iulij denuo ſe converterunt ad Aparctiam, & velificantes cum 2. velis, demptis appendicib. verſus Hyperboream & Aquilonem per 5 aut 6. milliaria, uſque ad altitudinem 77. graduum cum tertia parte gradus, rurſus in glaciem inciderunt adeo latum ſpatium occupantem, quantum oculorum acies proſpicere potuit, iacta bolide ad 100. orgyias nullus repertus fundus, & Caurus vehementer flabat.

Inde ad Auſtrum ſe convertentes, vela fecerunt, verſus Auſtro-Africum per 7. aut 8. milliaria, & denuo apud Continentem pervenerunt qui dignoſci potuit ex 4. aut 5. prælaltis montibus.

Tum rurſus convertentes ſe ad Aparctiam, vela fecerunt uſque ad veſperam verſus Aparctiam per ſex milliaria, ſed denuo in glaciem inciderunt.

Inde iterum convertentes ſe ad Auſtrum velificarunt verſus Meſolybonotum curſum tenentes per ſex milliaria, atque denuo ad glaciem pervenerunt.

15. Iulij. XV. Iulij rurſus ad Auſtrum ſe convertentes & eundem curſum quem ſupra tenentes per ſex milliaria, denuo ad Continentem *Novæ Zemblæ* pervenerunt cum Sol eſſet in Arctapeliote mane.

Inde iterum ſe convertentes ad Aparctiam, velificarunt verſus Hyperboream curſum dirigentes per ſeptem milliaria, & denuo in glaciem pervenerunt.

16. Iulij. Tum XVI. Iulij rurſus ad Auſtrum ſe convertentes, cum Sol circa Favonium eſſet, navigarunt curſum dirigentes verſus Auſtro-Africum & Hyperlybonotum per octo aut novem miliaria.

17. Iulij. XVII. autem Iulij ad Aparctiam ſe convertentes vela fecerunt verſus Hyperboream per 4. milliaria: deinde ad Occidentem curſum tenentes verſus Hyperlybem per 4. milliaria, & iterum verſus Circium, tum ſe convertit ventus ad Aquilonem, ingens adferens gelu.

Tunc ſeſe convertentes ad Orientem, vela fecerunt uſque ad meridiem verſus Subſolanum per tria milliaria, deinde verſus Hypereurum, alia tria milliaria.

Inde denuo ad Boream ſe convertentes ſub noctem vela fecerunt verſus Hyperboream per quinque milliaria

18. Iulij. uſque ab 18. Iulij mane. Et navigantes verſus Hyperthraciam per 4. milliaria, incidimus in maximam quãtitatem fragmentorum glaciei, ut inde ad Auſtrum convertere nos oporteret, iacta bolide cum vicini eſſemus glaciei ad 150. orgyias, fundus non repertus.

Tum navigantes circiter per duas horas verſus Notapeliotem, & Vulturnum nebuloſo aëre, pervenerunt ad æquor glaciei quod oculorum acie ſuperare non poterant, nullo quidem vento ſpirante, ſed urgente gelu, atque ſecundum glaciem navigantib. fere per duas horas tam denſa nebula ſupervenit, ut quæ circa ipſos eſſent non conſpicerent, & ferrentur verſus Notozephyrum per bina milliaria.

Eodem die dimenſus eſt *Willelmus Bernardi f.* Solis Altitudinem ſuo Aſtrolabio, & comperit Polum elevatũ eſſe 77. gradibus & quadrante, navigantesque verſus Auſtrum per ſex milliaria, continentem conſpexerunt ſibi objectum ad Auſtrum.

19. Iulij. Tũ vela fecerunt uſque ad 19. mane verſus Africũ per 6. aut 7. milliaria flante Arctozephyro cælo nebuloſo, deinde

deinde versus Notozephyrum & Mæsolybem cursum tenentes per septem milliaria. Solis altitudine existente 77.
graduum minus 5.scrupulis, deinde navigantes adhuc per duo milliaria versus Notozephyrum pervenerunt iuxta
continentem *Nova Zemble* circiter *Promontorium Nassoviense*.

Inde convertentes se denuo ad Septentrionem, & cursum versus Septentrionem retinentes per octo milliaria,
flante Coro & nebuloso aëre, & adhuc 20.Iulij, mane cursum tenentes versus Mesoboream per tria aut quatuor 20. Iulij.
milliaria: circiter autem Solem in Oriente existentem iterum se convertentes ad Zephyrum, vela fecerunt usque
ad noctem cursum tenentes versus Notozephyrum per quinque aut sex milliaria nebuloso cælo; deinde versus
Hyperlybonotum per septem milliaria usque ad 21.Iulij mane. 21.Iulij.

Deinde rursus converso cursu ad Septentrionē velificarunt à summo mane ad noctem usque versus Hyperarge-
stē per 9.milliaria cælo nubilo, & versus Meso Thraciam per tria milliaria, & iterum converso cursu ad Austrum,
vela fecerunt usque ad 22.Iulij mane versus Austro Africum per tria milliaria cælo nebuloso, deinde usque ad no- 22.Iulij.
ctem versus Meso Lybonotum per 9.milliaria semper nebuloso aëre.

Tunc converso iterum cursu ad Septentrionem navigarunt versus Mesothraciam per tria milliaria, & per bina
milliaria versus Hyper Thraciam. Tum mutavit se ventus ad Arctozephyrum mane 23.Iulij, & jacta bolide ad 48. 23. Iulij.
Orgyias, fundum invenerunt lutosum.

Deinde vela fecimus per bina milliaria versus Aquilonem & Hyperboream, atque alia bina milliaria versus Ar-
ctapeliotem, habentes profunditatem 46.orgyiarum, & convertentes nos ad Zephyrum vela fecimus versus Meso-
argesten per sex milliaria, fundus lutosus ad 46.orgyias.

Deinde converso cursu ad Subsolanū vela facta versus Mesocæciam per tria milliaria, & 9.aut 10.milliaria versus
Subsolanū, & Hypereurū, & rursus 5.aut 6.milliaria versus easdem cæli stationes, & 5.aut 6. milliaria versus Hyper-
eurum usque ad noctem 24.Iulij. deinde per quatuor milliaria versus Meseurum, flante vento Cæcia. 24. Iulij.

Tum converso rursum cursu ad Septentrionem, vela facientes ad 25.usque Iulij mane versus Aparctiam & Hy-
per Thraciam per quatuor milliaria, ad 130.Orgyias fundum habuerūt lutosum. Vlterius versus Septentrionem
tēdentes ad 100.orgyias fundū habuerūt, conspexeruntque glaciem versus Arctapeliotē, & progressi per bina ad-
hue milliaria versus Hyper Thraciam, cōverterūt se denuo versus Austrū & versus glaciem, & vela facientes per
milliare versus Notapeliotē, deinde ad Septētrionē versus Aparctian per sex milliaria, inciderunt in glaciei frag-
mēta adeo frequētia, ut ijs cingerentur, nec è corbe mali, glaciei finē conspicere possent, & tamē nitentes adver-
sus glaciē eam superare nequiverunt, propterea sub vesperam cursum cōverterunt dénuo ad Austrū, & secundū
glaciem velificarunt versus Mesolybonotum per quinque milliaria, & alia tria milliaria versus Euronotum.

xxv.Iulij sub noctē cum Sol proximus esset occasui inter Aquilonē & Mesoboream, sumpta est eius altitudo, 25. Iulij.
quæ fuit supra Horisontē sex gradibus & dodrante, eius declinatio erat 19.graduū & 50.minutorū, ex quibus sub-
ducti sex cū dodrante restant 13.gradus minuta 5.qui detracti de 90, manent 77.minus 5.minutis, sive scrupulis.

xxvi.Iulij vela fecerunt mane donec Sol esset in Notozephyro per sex milliaria versus Euronotum, & per sex 26. Iulij.
adhuc milliaria cursum tenentes versus Notapeliotem, perveneruntque circiter milliare à Continente *Nova Zē-
bla*, tum converso cursu à continente, velificarunt per quinque milliaria versus Hyperthraciam flante vento à
Subsolano: sed sub noctem denuo cursu cōverso ad Austrum, navigantes versus Euronotum per septem millia-
ria proximè ad Continentem delati sunt.

Tū convertētes se rursus ad Septentrionē vela fecerunt per 2.aut 3.milliaria versus Aquilonē, & inde ad Austrū
cursū dirigētes versus Euronotū per 2.aut 3.milliaria, denuo ad cōtinētē venerūt apud Promōtoriū cōsolationis.

Tunc converso cursu a continente ad Arctapeliotē circiter mill.delati sunt in pulvinos ad profunditatē quatuor
Orgyiarū inter scopulos & continentē, ubi profunditas 10.Orgyiarum, fundus exigui lapilli nigri: & aliquam diu
vela facientes versus Arctozephyrum, donec denuo profunditatē haberent 43.Orgyiarum fundo solido & firmo.

xxvii.Iulij inde vela facientes versus Arctapeliotē Vulturno flante per quatuor milliaria, converterunt se ver- 27. Iulij.
sus Austrum, ubi invenerunt ad 70.orgyias argillosum fundum, & navigantes versus Austrum & Meseuronotum
per quatuor milliaria, delati sunt ad anfractum magnum. Sesquimilliarij inde erat pulvinus 18. orgyiarum, ar-
gilloso arenoseque fundo. Inter pulvinum & continentem erat profunditas 60.& 50.Orgyiarum & plaga proten-
debatur versus Orientem & Occidentem secundum vulgarem pyxidem.

Sub noctem convertentes cursum ad Septentrionē, vela fecerunt versus Aquilonē per tria milliaria; cælū nubi-
losum interdiu, circa noctem serenum, ut *Willemus Bernardi f.* Solis altitudinem metiens astronomico suo radio,
cum inveniret elevatum supra Horisontem 5.gradibus 40.minutis. Declinatio erat 19.graduum 25.minutorum,
ex quibus deducta elevatio 5.grad.40.minut.restabant 13.gradus 25.minuta, qui numerus detractus de 90.Poli al-
titudo reperta 76.graduum 31.minutorum, seu scrupulorum.

Vela autē facientes versus Aquilonē per 3.mill. usque ad 28.Iulij, & convertentes cursum versus Austrū velaq;
facientes per 6.mill.versus Euronotum, compererunt se adhuc abesse à continente tribus aut quatuor milliaribus.

xxviii. Iulij altitudo Solis per Astrolabium investigata, reperta est 57.graduum & 6.minutorum supra Hori-
sontem. Eius declinatio erat 19 graduum 18.minutorū, quæ congesta faciunt 76.gradus 24.minuta. Istud contigit
circiter quatuor milliaria à *Nova Zembla*, quæ prorsus nive contecta conspiciebatur sereno cælo, Subsolano flāte. 28. Iulij.

Tum cum Sol fere versaretur in Notozephiro, convertentes se ad Septentrionem & velificantes unum milliare versus Aquilonem, deinde adhuc milliare obversi Notapelioti, iterum se converterunt ad Septentrionem, veladantes per quatuor milliaria versus Arctapeliotem & Hypercæciam.

Sub ejusdem diei vesperã Solis altitudo inventa 76. graduum 24 minutorum, & adhuc tria milliaria progressi versus Arctapeliotem, deinde versus Hypercæciam quatuor milliaria, denuo in glaciem inciderunt 29. Iulij.

29. Iulij. Quo die 29. Iulij Solis altitudo investigata radio Astronomico, Astrolabio, & quadrante, inventa est supra Horizontem 32. gradibus: ejus declinatio erat 19. graduum, qui subducti ex altitudine, remanent 13. gradus ab æquatore: illis 13. subductis à 90. restant 77. gradus. Tum extremus Novæ Zemblæ Septentrionalis angulus, glaciei angulus nominatus, illi adversus erat versus Orientem.

Istic invenerunt quosdam lapillos splendentes instar auri, quos propterea aureos appellarunt; istic etiam elegans Sinus inventus fundo arenoso.

Illo ipso die cursum convertentes ad Austrum, & velificantes per bina milliaria versus Meseuronotum inter continentem & glaciem. Deinde à parte Orientali anguli Glaciei versus Austrum velificatione facta per sex milliaria usque ad Insulas Orangiæ, obliquando cursum inter continentem & glaciem aëre tranquillo existente & placido,

31. Iulij. ut 31. ad Insulas Orangiæ pervenerint.

Ad unam ex dictis insulis pervenientes, circiter ducentas beluas marinas quas ipsi *Walrusschen* appellant, Olans magnus Rosmaros, sese in arena ad Solem voluntates invenerunt. Longè maiores sunt istæ beluæ marinæ bobus, in mari etiam viventes præditæ corio instar phocarum, & brevi pilo, rictu Leonino, super glaciem plerumque stabulantur, quatuor pedibus præditæ sunt, & auribus carent, difficulter interficiuntur, nisi temporibus capitis contusis; pariunt unum aut alterum catulum. Si forte in glaciei fragmento à piscatoribus reperiuntur cum catulis, eos in aquam præcipitant, deinde ipsæ etiam insilientes eos in ulnas recipiunt, atque ita subinde se mergentes vel assurgentes effugiunt. Quod si resistere cupiant, dimissis catulis, summa vi ad scapham adnatant, ut nostri semel non cum mediocri periculo experti sunt: nam Rosmarus

Rosmarorum beluarum marinarum effigies, monstrorum valde robustorum, Piscatorum scaphas interdum evertentium, & conflictus cum fere ducentis similibus beluis simul in arena versantibus delineatio, ut omnia arma corruperint, & ne unam quidem mactare potuerint, atque, ut accingebant se ad maiora tormenta petendaque debellandis necessaria, tempestate fuerint prohibiti.



ſege dentes in poſteriorem cymbæ partem infixiſſet ut eam ad ſe pertraheret: ſed ſublato à noſtris clamore exterritus, receſſit, catulos ſuos denuo in alnas recipiens. Binis præditi ſunt dentibus, utrinque ex ore prominentibus, circiter cubitum longis, non minus ebore æſtimatis præſertim in Moſcovia & Tartaria, locisque vicinis, ubi noti ſunt: ſunt enim perinde albi, duri, & læves ac ebur. Cùm porrò nautæ exiſtimarent iſtam Roſmarorum ſeſe ita in arena volutantium catervam, in terra non poſſe ſe defendere, eos adorti, ut eorum dentibus potirentur, ſed ſuas ſecures & gladios & lanceas confregerunt, nec unum quidem interimere potuerunt, uni duntaxat dentem excuſſerunt quem abſtulerunt. Cum igitur iſto prælio nihil conſequi potuiſſent, deliberarunt de reditu in navem, ad tormenta bellica inde adferenda, & ijs Roſmaros oppugnandos: ſed vetus adeo vehemens ſubortus eſt, qui glaciem in magna fragmenta confringere cepit, ut ab eò conatu deſiſtere oportuerit. Illo ipſo tempore ingentem urſum album dormientem offenderunt, quem globo trajecerunt, nihilominus diffugiens in aquam inſilijt, ſed nautæ remis cymbam impellentes perſequuti, eum mactarunt, & ſuper glaciem pertractum, dimidia ſariſſa in glaciem valide infixâ ad ipſam firmiter colligarunt, eo animo ut eum deinde auferrent cum redituri eſſent cum tormentis ad Roſmaros oppugnandos: ſed cum ventus magis ac magis inſurgeret, & glacies confringi inciperet, nihil effectum eſt.

Roſmarorũ natura & adverſus eos conflictus.

Cæterum cum Willelmus Bernardi f. qui ut dictum eſt, 5. Iunij anno. 1594. ex Texella vela feciſſet & 23. ejuſdem menſis Kildvvinum Moſcoviæ perveniſſet, & inde curſum dirigens ad ſeptentrionale latus *Nova Zembla*, eo ſucceſſu quem retulimus. 1. Auguſti ad Inſulam Orangiæ delatus eſſet, animadverteret tamen cùm omni ſuſcepto labore difficulter inchoatam navigationem poſſe abſolvere, tum etiam quod nautas tædere inciperet tam diuturnæ moræ, nec ulterius ij progredi cuperent, commodum viſum eſt regredi, & ad alias naves redire quæ verſus VVeygats ſive Fretum Naſſovicum curſum direxerant, ad intelligendum quem tranſitum illac repeiiſſent.

Willelmus Bernardi f. convertit curſum ab inſula Orãgiæ, cũ difficulter ſe lõgius progredi & velle facere animadverteret.

AVGVSTVS. 1594.

Propterea 1. Auguſti curſum converterunt ab Inſula Orangiæ ſolventes, & vela fecerunt per ſex milliaria verſus Zephyrum & Hyperlybem uſque ad glacialem cuneum ſive angulum. 1. Auguſti.

A glaciali cuneo ad Promontorium conſolationis velificarunt verſus Zephyrum ad Auſtrum aliquo modò tendentem per 30. milliaria. Inter hæc loca valde alta eſt terra: ſed Conſolationis Promontorium humile eſt, & in ejus Occidentali latere ſunt quatuor aut quinque nigri colles, veluti ruſticorum tuguria.

A Promontorio Conſolationis ſeſe convertentes ad Septentrionem 3. Auguſti velificarunt per 8. milliaria verſus Meſothraciam & Circium, meridie autem converſo curſu ad Auſtrum, vela fecerunt uſque ad noctem verſus Meſolybonotum, & Lybonotum, & pervenerunt ad humilem angulum Promontorij Naſſovici. 3. Auguſti.

Sub noctem denuò converſo curſu ad Septentrionem, vela fecerunt verſus Hyperboream per duo milliaria, atque cùm ventus ſe ad Septentrionem converteret, propterea verſus Zephyrum, obverſi, velificarunt verſus Circium per milliare: ſed mutato vento in Subſolanum, vela fecerunt à 4. Auguſti mane uſque ad meridiem verſus Meſoargeſten per quinque aut ſex milliaria, & adhuc uſque ad noctem verſus Notozephyrum per quinque milliaria, deinde denuò bina milliaria verſus eundem Notozephyrum, pervenerunt ad humilem locum, in cujus Orientali latere alba nota erat. 4. Auguſti.

v. Auguſti facta velificatio verſus Africum per 12. milliaria, & verſus Notozephyrum per 14. milliaria, deinde adhuc verſus Zephyrum per tria, uſque ad 6. Auguſti. 5. Auguſti.

vi. Auguſti curſus directus verſus Africum per duo aut tria milliaria, & verſus Notozephyrum & Hyperlibonotum per quatuor aut quinque milliaria, & verſus Meſolybem per milliaria tria; & rurſum verſus eundem per alia tria milliaria, deinde adhuc verſus Africum & Hyperlybonotum per terna milliaria uſque ad 7. Auguſti. 6. Auguſti.

vii. Auguſti velificatio facta uſque ad meridiem, verſus Africum per tria milliaria, & verſus Zephyrum per tria milliaria. Deinde converſo curſu ad Auſtrum uſque ad noctem, verſus Notapeliotem & Meſeurum vela facta per tria milliaria. Verſus autem Africum per bina milliaria, & adhuc tria milliaria verſus Auſtrum uſque ad 8. Auguſti mane, flante Lybonoto. 7. Auguſti. 8. Auguſti.

viii. Auguſti vela dederunt verſus Hypereuronotum per 10. milliaria, quem curſum proſequuti uſque ad noctem per quinque milliaria, pervenerunt ad humilem terram protenſam verſus Lybonotum & Meſoboream, quē curſum ſunt adhuc proſequuti per quinque milliaria, atque binis milliaribus ſupra illum continentem profunditas erat 36. Orgyiarum, arena nigra. Et vela facientes verſus continentem ad profunditatem 12. Orgyiarum dimidio milliari à continente fundus erat lapidoſus.

Inde protenditur continens ad Auſtrum per tria milliaria uſque ad alium humilem angulum proximè quē erat niger ſcopulus. Inde vero protenditur verſus Euronotum per terna adhuc milliaria uſque ad alium angulum, prope quem erat parva inſula, & circiter dimidium milliare à continente plana erat ad profunditatem 8. 9. & 10. Orgyiarum: cui inſulæ appellationem nigræ dedimus, quia terræ ſuperficies nigra erat, tum oborta valde denſa nebula, ut vento obſequentes navigarent per tria milliaria verſus Argeſtem: ſed ſerenitate facta, denuo verſus continentē ſe converterunt, & Sole in Auſtro exiſtente, denuo venerunt prope nigram inſulam, velificatione facta ad vulturnum.

Istic dimensus est *Willemus Bernardi f.* Solis altitudinem ad 71.gradum & trientem, ubi repererunt magnum anfractum, quem Willelmus conijciebat esse eum in quo Oliverius Brunel prius fuerat, appellatum Costinsarch.

9. Augusti. A Nigra Insula vellificarunt versus Austrum & Meseuronotum per tria milliaria ad alium angulum, cui ob crucem in eo inventam, Crucis angulum sive cuneum appellarunt. Istic etiam Sinus inventus valde planus cujus vadum 5.6.7. Orgyias profundum terra solida & firma.

A Crucis cuneo velificatione facta secundum littus versus Euronotum per 4.milliaria, pervenerunt ad alium ignobilem angulum, post quem magnus anfractus versus Orientem porrectus. Huic nomẽ dederunt Quinti anguli, vel S.Laurentij anguli.

A Quinto angulo velificatione facta ad Propugnaculi angulum versus Euronotum per tria milliaria, invenerunt longum nigrum scopulum proximè continentem, cui crux erat imposita, & denuo in glaciem inciderunt, ad quam evitandam in mare procurrerunt. Constituerant secundum littus *Nova Zembla* versus Weygats vela facere: sed incidentes in glaciem, versus Austrum converso cursu, vela fecerunt à 9.Augusti sub noctem usque ad 10.eiusdem mane versus Mesoargesten per 11. milliaria, deinde per 4.adhuc milliaria versus Argestem & Hyperargestem flante Aparctia. Meridie rursum converso cursu ad Subsolanum velificatio facta versus Subsolanum & Hypereurum usque ad noctem per decem milliaria, deinde eundem cursum tenentes per quatuor milliaria, ubi continentem conspexerunt, & in magnum Sinum pervenientes scapha continentem petierunt, repereruntque elegantem portum 5.orgyias profundum fundo arenoso. Hic Sinus habet in Septentrionali latere tres nigros angulos, in tertio est navium statio, qui tamen aliquantulum declinandus, quia scopulosus est, & inter secundum & tertiam angulum etiam elegans est Sinus tutus ab Arctozephyro, Aparctia & Arctapeliote ventis, fundus arenosus niger. Huic Sinui nomen S.Laurentij indiderunt, ubi Solis altitudo reperta 70. graduum & dodrantis.

11. Augusti. A S.Laurentij Sinu velificatione ad Propugnaculi angulum facta versus vulturnum per bina milliaria, humilis niger scopulus inventus, continenti contiguus, in quo crux fixa erat, & scaphâ ad continentem vecti, repererũt hominum vestigia, qui illis conspectis profugerant. Nam istic repererunt sex saccos secales farina plenos in terra reconditos, & lapidũ cumulum apud crucem, & ad ferrei tormenti jactum inde, adhuc aliam crucem cum tribus ligneis ædificijs secundum Septentrionalem consuetudinem extructis. In illis etiam ædificijs repererunt multos doliorum asseres: ex quo coniecturam faciebamus istic Salmonum piscationem fieri: istic quoque reperti circa scrobes quinque aut sex loculi ossibus mortuorum pleni, iacentes supra terram lapidibus repleti. Istic etiam inventa confracta navis Russica cujus carina 44.pedes longa erat: sed nullum mortalium conspicere potuerunt.

Huic eleganti portui & tuto ab omnibus vẽtis nomẽ indiderũt Portus Farinæ, propter farinam istic inventã.

A nigro scopulo in quo crux, aberat binis milliaribus versus Euronotum parva Insula aliqũantalum in mare protensa, à qua vela fecerunt versus Euronotum per novẽ aut 10.milliaria. Sole existẽte in Lybonoto, reperta eius altitudo

12. Augusti. 12. Augusti 70.graduum 50.minutorum, sive scrupulorum.

Ab eadem Insula littus eius legentes navigarunt per quatuor milliaria versus Meseurum, & pervenerunt ad duas alias exiguas insulas, quarum exterior à continente milliari aberat. Eam S.Claræ Insulam appellarunt.

Tum denuo in glaciem incidentes, regressi sunt in mare vento sese accommodantes, & vela facientes usque ad noctem, cursum ab insula dirigentes versus Africum per quatuor milliaria, Arctozephyro flante. Sub noctẽ cælum plane nebulosum fuit, & 80.orgyiarum profunditatem habuerunt.

Rursum velificantes versus Mesolybem & Africum per tria milliaria, profunditatem 70. Orgyiarum repe-

13. Augusti. rerunt, & continuarunt cursum usque ad matutinum tempus 13.Augusti versus Mesolybem per quatuor milliaria, inventa binis horis ante 56.orgyiarum profunditate, & mane 45.orgyiarum lutoso fundo.

Deinde cursum instituentes, ad meridiem usque, versus Notozephyrum per sex milliaria, fundum invenerunt nigrum arenosum ad 24.orgyias, una hora postea ex russo nigricantem arenam ad 22.orgyias, per 6.milliaria adhuc progressi versus Notozephyrum rubram arenam ad 15.orgyias, deinde eundem cursum tenentes per bina milliaria, denuo rubram arenam ad 15.orgyias, tum continens conspectus; & idem cursus servatus usque ad noctem, donec dimidio milliari à continenti abessent ubi fundus arenosus repertus ad 7.orgyas; erat autem continens ignobilis & humilis agger ab Oriente ad Occidentem porrectus. Tum converso cursu à terra, vela fecerunt per quatuor milliaria versus Septentrionem & Hyperboream. Inde versus continentem iterum

14. Augusti. converso cursu, & velificatione facta usque ad 14.Augusti per 5.aut 6. milliaria versus Notozephyrum proxime continentem quem conijciebant esse insulam *Colgoien*, inde vela fecerunt secundum terram versus Subsolanum per quatuor milliaria, deinde versus Subsolanum & Hypereurum per tria milliaria; suborta est nebula adeo densa ut continentis conspectum adimeret, & aquæ profunditas erat duntaxat 7 & 8.orgyiarum. Itaque corbis velo substricto, vento sese permittentes donec nebula dissolveretur, nec adhuc Sole in Lybonoto existẽte continentem conspicere volentes, altitudinem maris ad 100.orgyias invenerunt fundo arenoso. Deinde velificatione facta ad Subsolanum per 7.milliaria, tum versus vulturnum & Meseurum per bina milliaria, atque

15. Augusti. usque ad 15.Augusti mane per 9.milliaria versus Eurum, & ab aurora ad meridiem usque eundem cursum tenẽtes per

tes per quatuor milliaria, venerunt supra puluinum 9. aut 10. orgyias altum arenoso fundo, nec continentẽ conspicere potuerunt. Circiter 11. horam ante meridiem, ceperunt habere maiorem profunditatem 12. videlicet, aut 13. orgyiarum, & vela data versus Eurum per tria milliaria, donec Sol conspiceretur in Notozephyro.

Sole igitur eodem die in Notozephyro existente, eius altitudinem dimensus est *Willemus Bernardi f.* & reperit elevatum supra Horizontem 35. gradibus, eius declinatio erat 14. graduum & quadrante, deerant 55. gradus ut 90. conplerent, qui simul uniti faciunt 69. gradus 15. minuta: hæc fuit Poli altitudo, & ventus Arctozephyrus. Tũ progressi adhuc bina milliaria versus Subsolanum, venerunt ad insulam *Mat Flæ* & *Delgoy*. Tum matutino tempore inciderunt in alias naves socias Zelandicam & Enchusanam, quæ eodem die advenerant ex VVeygats, narraruntque singuli quo usque pervenissent. Enchusani VVeygats superaverant, aiebantq; e, ultra fretum VVeygatz, spatiosum mare invenisse, seque in eo versus Subsolanum 50. aut 60. milliaria navigasse, adeo ut arbitrarẽtur se circiter longitudinem fluminis *Obi*, quod ex Tartaria fluit attigisse, & Tartariæ cõtinentem rursus ad Arctapeliotem protendi, ex quo coniecturam faciebant se non procul à Promontorio *Taben* abfuisse, quod extremum est Tartariæ, cum convertatur versus regnum *Cathay* ad Notapeliotem, deinde ad Austrum. Et cum existimarent se iam satis detexisse & tempestivum esse ut reverterentur, & duntaxat illis mandata esse data ut commoditates transiendi explorarent, & ante hiemem domum redirent, propterea versus fretum Weygatz se convertisse: in insulam autem pervenisse circiter quinque milliaria amplam ad Notapeliotem Weygatz, & Tartariæ latus, cui *Ordinum insulæ* nomen dedissent, in qua multos lapillos reperissent Chrystalli nativi quod Adamantis genus esse videretur.

Tempus & locus quibus naves denuo convenerunt: & eorum quæ observaverant narratio;

Naves denuo circa Weygatz conveniunt, Willelmi Bernardi f. navis cum Lyburnica ab Aparctia Novæ Zemblæ, & Zelandica cum Enchusana ex Weygatz, & cursum versus patriam convertunt, quandoquidem emissæ duntaxat erant ad situm, protensionem, et littora Tartariæ, atque maris Tartarici observandum.



Cum

Cum igitur, ut dictum est, convenissent, in lætitiæ signum tormenta exploserunt: arbitrabantur autem *Wilielmum Bernardi f. Novà Zemblà* circumnavigatâ per fretum VVeygatz rediisse.

Denuo ad reditum se componût. Communicatis porrò inter se quæ observassent, & indicijs communis lætitiæ æditis, sese composuerunt ad reditum.

16. Augusti. XVI. Augusti sub insulis *Matflæ & Delgoy* ad navium stationem pervenerunt, quia ventus ab Arctozephyro flabat, & istic hæserunt usque ad 18.

18. Augusti. XVIII. Vela fecerunt versus Corum, cursum tamen dirigentes versus Mesargestem per 12. milliaria: deinde
versus Hyperlybem per 6. milliaria, & Arctozephyro pulsi sunt in pulvinum vix 5. orgyias profundum. Tum
sub noctem ad Aparctiam se convertentes velificarunt versus Cæciam per 7. aut 8. milliaria: sed cum ventus à
19 Augusti. Septentrione flaret, denuo ad Zephyrum se convertentes vela fecerunt usque ad 19. Augusti mane versus Zephyrum per bina milliaria, & iterum per bina milliaria versus Notozephyrum, & tertium per bina milliaria versus Notapeliotem. Inde rursum converso cursu ad Zephyrum navigarunt usque ad noctem cum malacia: sed
exorto vento flante à Subsolano, Initio direxerunt cursum versus Corum & Hyperargestem per 6, aut 7. millia-
20. Augusti ria, habentes altitudinem maris ad 12. orgyias, deinde ad 20. usque Augusti mane, eundem cursum prosequuti per septem milliaria, flante Subsolano, atque idem cursus continuatus per septem milliaria, & versus Corum per quatuor milliaria; & deinde cum malacia delati usque ad noctem. Deinde velificatione facta versus Corum & Hyperargestem per septem milliaria, inciderunt nocte in brevia trium orgyiarum profunditatis, proximè continentem, & navigantes secundum littus per milliare unum, initio versus Aparctiam, deinde per tria milliaria versus Corum, continens exurgebat in arenosos montes & præruptos angulos, nihilominus prosequuti sunt suum cursum secundum littus habentes profunditatem 9. aut 10. orgyiarum usque ad me-
21. Augusti. ridiem 21. Augusti versus Arctozephyrum per quinque milliaria: tum Occidentalis angulus continentis dictus *Candinaes* illis erat objectus ad Corum distantiâ quatuor milliarium. Inde vela fecerunt per quatuor milliaria versus Corum & per alia quatuor versus Mesothraciam, præterea per tria adhuc milliaria versus Arctozephyrum & Mesothraciam, & adhuc per quatuor milliaria versus Arctozephyrum usque ad 22. Augusti mane.

22. Augusti. XXII. Augusti mane, velificatio facta versus Arctozephyrum per 7. milliaria, & continuatus cursus versus Co-
23. Augusti. rum & Hyperargestem, usque ad noctem per 15. milliaria, flante Aparctia, deinde per alia adhuc 8. milliaria versus Corum. Deinde idem cursus servatus usque ad 23. Augusti per 11. milliaria.

Eiusdem diei meridie erat Solis elevatio supra Horizontem 31. gradibus & triente, deerant 58. octo gradus cũ duobus trientibus à 90. adjuncta autem declinatione 11. graduum & duorum trientum ad 58. gradus & binos trientes, fuit elevatio Poli præcise 70. graduum & triente.

24. Augusti. Vela deinde facta versus Arctozephyrum & Hyperargestem, usque ad noctem per 8 milliaria, atque versus Hyperargestem & Corum per quinque milliaria, & adhuc usque ad 24. Augusti mane versus Mesothraciam per 6. milliaria, deinde versus Zephyrum & Africum per tria milliaria, pervenerunt proximè insulam *Waerhuysen* appellatam ad Navium Stationem.

Navigationem à *Waerhuysen* horsum factam, cùm sit navigatio satis nota, describendam non duximus, nisi
16. Septebr. quod inde simul solverint, ut domum repeterent: itaque conjunctim navigarunt usque ad Texelam, unde Zelandica navis ulterius progressa. *Willehmus* autem *Bernardi f.* cum Liburnica 16. Septembris, ipso Enceniorum die, ante Amsterodamum appulit, & Enchusana Enchusam, unde ablegati fuerant. *Willelmi Bernardi f.* nautæ Rosmarum in urbem usque Amsterodamum retulerunt, beluam marinam admirabilis formæ, quam supra glaciei fragmentum ceperant & mactarant.

Prima Navigationis Finis.

BREVIS

BREVIS NARRATIO ALTERIVS NAVIGATIONIS, QVÆ ANNO M.D.XCV. INSTITVTA VLTRA NORWEGIAM, MOSCHOVIAM ET TARTARIAM, VERSVS REGNA CATTHAY ET SINARVM.

POSTQVAM quatuor prædictæ naves Anno M. D. XCIIII. mense Septembri redierunt, magna spes concepta fuit, institutam navigationem per fretum VVeygatz posse absolvi, præsertim ex narratione eorum qui Zelandica navi, & Enchusana vecti, cuius legatus fuerat *Ioannes Hugo à Linschoten*, qui rem omnem paullo latius explicabat. Sicut potētes Generales Ordines confœderatarum Provinciarum, & Illustrissimus Aurangiæ Princeps statuerent initio veris aliquas naves instruere, non modo, ut priore Navigatione, ad viam explorandam & aperiendam, sed etiam ad merces eo exportandas, quas mercatores, prout illis commodum videretur, navibus imponerent, adjectis legatis qui eas merces distraherent in ijs locis ad quæ pervenirent ab omni naulo & licētia liberas. *Petrus Plancius* celebris Cosmographus, unus ex præcipuis fuit, qui Navigationem istam promouerunt, quique præcipuum ordinem cursuum quos sequi deberent præscripsit, & tractus Regionum *Tartariæ, Catthay, & Sinarum:* sed quid de eo sit judicandum, nondum satis Constat, tametsi tres iam navigationes institutæ, ad optatum finem non sint perductæ: nam cursus ab eo delineati, perfectè observari non potuerunt, ob quædam impedimenta, quæ propter temporis angustiam corrigi nequiverunt.

Quod nunc melancholici quidam inferre volunt, rem esse impossibilem: producentes, ex veteribus quibusdā auctoribus, quod ex utraque Arctici poli parte per plura quam 305. milliaria mare non sit navigabile, id vanum esse apparet, quia album mare, & polo adhuc propinquius iam navigatur, & in eo piscatio exercetur, præter veterū scriptorum sententiam & opinionem: immò quid nunc non navigatur, quod ipsis incognitum fuit? Sic etiam mirum non esset, quemadmodum initio Descriptionis Primæ navigationis dixi, si ab utraque poli Arctici parte 23. gradibus simile frigus esset quale sub ipso polo, tametsi nondum probe sit exploratum. Quis credat in Pyrenæis montibus & Alpibus quæ in Hispaniam, Italiam, Germaniam & Galliam protenduntur, tam ingens frigus esse, ut istic nix nunquam dissolvatur, cum tamen Soli longæ viciniores sint, quam hæ Belgicæ provinciæ ad arctoum mare sitæ? Vnde rigor ille in montibus? nimirum ex vallium profunditate in quibus nix tam alta iacet, ut Sol ad infimum penetrare nequeat, & montium altitudine, qui Solis radios a vallibus arcent. Sic etiam (mea opinione) accidit de glacie quæ est in Tartarico Mari, etiam glaciali nūcupato, circa *Novam Zemblam*, in quo glacies ex fluminibus Tartariæ, & Catthayæ delabens dissolvi nequit propter abundantiam, & quia Sol supra ea loca non valde elevatur, non potest tantum calorem præbere, ut facile colliquare possit. Hæc est causa cur glacies istic maneat; quemadmodum nix in prædictis Hispaniæ montibus, & ipsa maius frigus istic inducat, quam Polo viciniore loco in aperto mari. Hæc tamen tanquam memoriæ causa in medium producta sunto, quia tùm explorata non sint, tam certa esse nequeunt, atque si explorata essent. Sed nunc ad Narrationem Secundæ Navigationis ad Arcton veniamus.

Anno M. D. XCV. à Generalibus Ordinibus harum Prouinciarum confœderatarum & Ill^mo Principe Mauritio, tanquam Archithalasso, septem naves instructæ ad vela facienda per fretum *Waygatz*, sive *Nassovicum*, ad regna *Catthay* & *Sinarum*, binæ Amstelrodami, binæ in Zelandia, binæ Enchusæ & una Roterodami. Quarum sex omni genere mercium & pecunijs onustæ fuerunt, additis Legatis, ad mercaturam exercendam, septimæ, quæ fuit Liburnica, mandatum fuit, ut, cum aliæ naves superassent Promontorium *Tabin* (quod extremum Tartariæ angulum occupat) aut tam procul pervenissent, ut ad Austrum cursum convertere possent, & omnia glaciei impedimenta superassent, reverteretur, & nuncium ejus rei adferret. Vt porro vehebar navi *Willelmi Bernardi f.* qui summus erat Naucleros & *Iacobus Heinskerck*, primarius Legatus, navigationem quam fecimus, & cursum quem tenuimus, describam, quemadmodum primam navigationem descripsi.

Primùm igitur lustratione ante Amstelrodamum facta, præstitoque a nobis necessario iuramento, vela fecimus 18. lunij versus Texelam, ut eum alijs navibus quæ istic certo die convenire debebant, nostram Navigationem in nomine Dei auspicaremur. 18. Iunij.

IVLIVS. 1595.

II. Iulij ex Texela solvimus circa Solis exortū, cursum tenentes versus Mesothraciā, per 6. circiter milliaria. 2. Iulij.

Deinde vela facta versus Circium usque ad 3. Iulij mane, ad elevationem, secundum conjecturam, 55. graduū 3. Iulij. per 18. milliaria: præterea cum Arctozephyro & Circio, maxima ex parte tranquillo, velificatio facta versus Zephyrum, & Hyperlybem usque ad 4. Iulij mane circiter quatuor milliaria. Deinde spirante circio ad Aparctiam 4. Iulij. inclinante versus Zephyrum & Mesargestem navigavimus usque ad 5. Iulij, mane, circa 25. milliaria, & adhuc do- 5. Iulij.

nec Sol esset in Occidente, circiter per 8. milliaria.

6. Iulij. Tum converso cursu vela facta versus Arctapeliotem usque ad 6. Iulij mane per 10. ut conijciebamus, milliaria,
7. Iulij. eundem cursum tenentes usque ad 7. Iulij, Sole in Austro existente, circiter per 24. milliaria, eodemque cursu continuato usque ad mediam noctem, circiter per 8. milliaria.
9. Iulij. Tum, converso cursu, vela facta versus Africum usque ad 9. Iulij mane, per 14. circiter milliaria: & converso cursu versus Arctapeliotem usque ad vesperam, per 10. circiter milliaria.
10. Iulij. Deinde velificatio facta versus Hyperboream usque ad 10. Iulij vesperi per 18. circiter milliaria. Tum conver-
11. Iulij. sus cursus ad Notozephyrum usque ad 11. Iulij, donec Sol esset in Notapeliote, per 8. circiter milliaria.
12. Iulij. Tum vela cōversa versus Aparctiam & Hyperboream usque ad 12. Iulij, Sole circa meridiem sito, per 16. milliaria. Deinde versus Hyperthraciam per 10. milliaria.
13. Iulij. XIII. Iulij denuo cursu converso velificavimus versus Notozephyrum & Africum, usque ad tertiam fere ante
14. Iulij. vesperam per 10. milliaria: Tum denuo conversa, velificatio versus Boream usque ad 14. Iulij, Sole in Euroafrico existente, per 10. circiter milliaria: & versus Hyperboream & Boream, usque ad 15. mane per 18. circiter mil-
15. Iulij. liaria; deinde versus Hyperboream usque ad vesperam circiter per 12. milliaria. Tum Norvvegia nobis conspe-
Norwegia conspecta. cta, & navigavimus versus Hyperboream usque ad vesperam 16. Sole in Arctozephyro existente, per 18. circiter
16. Iulij. milliaria: & deinde 17. Iulij cursu directo versus Arctapeliotem & Mesoboream, donec Sol esset in Occidente
17. Iulij. per 24 circiter milliaria.
18. Iulij. Tum adhuc versus Arctopeliotem usque ad 18. Sole in Arctozephyro, per 20. circiter milliaria. Inde versus
19. Iulij. Mesothraciam usque ad 19. Sole ad Occidentem sito, circiter per 18. milliaria.
20. Iulij. Inde conversus cursus versus Mesoboream, & Arctapeliotem usque ad 20. Iulij, ad sex clepsidras usque, sive tres horas, primi quadrantis, & expectavimus nostram Liburnicam, quæ nos adsequi nequibat, propter ventorū vehementiam. Quadrante præterito, conspeximus nostros socios cursum sistentes ut nos expectarent, & propinquiores ipsis facti, cursum prosequuti sumus usque ad vesperam per 30. circiter milliaria.
21. Iulij. Tunc vela fecimus versus Meseurum usque ad 21. excubijs positis, circiter per 26. milliaria, & continuato cur-
22. Iulij. su usque ad 22. Sole in Euronoto existente, per 10. circiter milliaria. A meridie Sole in Africo existente, conspeximus ingens Cete somno sopitum, rectè ante proram, quod strepitu navis velificātis, & nautarum clamore excitatum, enatavit, alioqui per medium ipsius corpus, nostra navis transire debuisset, & cursus continuatus donec Sol esset in Circio, per 8. milliaria.
23. Iulij. XXIII. Iulij velificatio facta versus Meseurum, donec Sol esset in Austroafrico, circiter per 15. milliaria, & terra conspecta quatuor circiter milliaribus à nobis distans. Tum à terra nos convertentes Sole circiter in Austro
24. Iulij. africo existente, vela fecimus usque ad 24. Sole in Arctozephyro existente, per 24. circiter milliaria.
25. Iulij. Deinde ad Septentrionem nos convertimus, & velificatio facta usque ad 25. Iulij meridie per 10. milliaria, & deinde usque ad mediam noctem versus Circium per 8. milliaria. Tum denuo conversus cursus versus Vulturnum & Hypereuronotum, usque ad 26. Iulij, Sole meridiano elevato 71. gradibus & quadrante.
26. Iulij.
27. Iulij. Sole circa Africum verante, cursus conversus Mesoboream versus usque ad 27. Iulij, Sole in meridie sito, & eius altitudo inventa 72. gradibus & triente.
28. Iulij. Deinde cursus directus recte ad Hyperboream usque ad 28. Iulij. Sole in Oriente existente, per 16. milliaria secundum conjecturam: & conversus cursus ad Mesocæciam, per 8. circiter milliaria: & versus Hypereuronotum usque ad 29. media nocte, circiter per 18. milliaria.
29. Iulij.
30. Iulij. Postea converso cursu ad Mesocæciam usque ad 30. Iulij Sole in Septentrione existente vela facta per 8. circiter milliaria: & inde conversi versus Euroafricum, usi sumus magna ex parte tranquillitate usque ad 31. Iulij Sole
31. Iulij. existente in Coro, & circiter sex milliaria progressi.

AVGVSTVS. 1595.

1. Augusti. Inde versus Subsolanum vela facta usque ad primum Augusti media nocte per octo milliaria, & cum trāquillitate & cælo sereno, conspeximus *Trompsent* insulam, circiter Solem in Septentrione existentem, nobis ad Notapeliotem expositam 30. milliarib. à continente, & velificavimus donec Sol in Oriente esset leniter spirante Cæcia, deinde Notapeliote, donec Sol esset in Arctozephyro per 9. milliaria cum semisse.
3. Augusti. Tum distantes à terra dimidio milliari convertimus cursum versus Mesocæciā usque ad tertium Augusti, Sole existente in Notozephyro, circiter per tria milliaria, & secundum oram maritimam circiter per 5. milliaria.
Vicarius Admiralij impingit in lingulam. Deinde convertimus denuo cursum propter lingulam protensam circiter sesquimilliare à continente supra quam *Isbrandus* vicepræfectus sive Viceadmirallius vela fecit, & valde impegit, sed ut commoda erat aura, denuo sese explicaverat. Ille tum paullulum nos præcedebat, sed exaudito eius clamore & conspecta eius nave periclitāte, illico cursum convertimus; ventus spirabat Hypercæcias & Notapeliotes, præcipue Notapeliotes & Auster,
4. Augusti. donec Sol esset in Austro 4. Augusti, & velificatio facta quinque circiter milliaribus à terrā, secundum conjecturam per sex milliaria.

Tum Solis altitudo dimensa ad 71. gradum & quadrantem, deinde summa fuit tranquillitas usque ad mediam noctem:

noctem postea spirante Austro tendimus versus Mesocæciam usque ad 5. Augusti, Sole existente in Notapeliote, 5. Augusti.
& Promontorio Septentrionali per bina milliaria ad Subsolanum nobis opposito, & Sole in Arctozephyro existente, nobis erant oppositi versus Austrum per quatuor milliaria scopuli *Mater* cum *filiabus* vulgo nuncupati, & vela facta eo tempore per 14. milliaria.

Vlterius deinde progressis versus Cæciam usque ad 6. Augusti, donec Sol esset in Coro, nobis coniuncta est navis *Isebrandi* Viceadmiralij, & multo tempore invicem impedientes, vela fecimus per 10. circiter milliaria. 6. Augusti.

Tum vela deduximus donec Sol esset in Arctozephyro, deinde denno expandimus flante Subsolano & Cæcia, tendentes versus Mesolybonotum usque ad 7. Augusti donec Sol esset in Notapeliote: & nobis obvia facta Enchusana navis, ex albo mari adveniens, & secundum coniecturam 8. milliaria emensi sumus. 7. Augusti.

Circa Solem in Austro existentem, nobis erat oppositum Promontorium Septentrionale circiter sesquimilliari ad Hyperlybonotum, & scopuli, Mater cum filiabus dicti circiter 3. milliar. ad Notozephyrum. Tum spirante Mesocæcia, vela fecimus versus Hyperboream usque ad 8. Augusti, donec Sol esset in Notozephyro, per 14. milliaria. 8. Augusti.
Deinde converso cursu versus Meseuronotum usque ad 9. Augusti Sole in Austro existente, conspeximus altum continentis angulum nobis ad Notapeliotem oppositum, & alium præterea præaltum continentis angulum nobis per quatuor milliaria ad Notozephyrum obversum secundum coniecturam, & hunc cursum prosequuti sumus per 14. circiter milliaria. 9. Augusti.
Tum denno converso cursu ad Mesoboream usque ad 10. Augusti, Sole in Oriente existente, vela fecimus per 8. circiter milliaria. Et denuo converso ad Austrum cursu donec Sol in Arctozephyro esset, velificatio facta, secundum coniecturam per 10. circiter milliaria. 10. Augusti.

Tum iterum conversus cursus, cùm Promontorium Septentrionale à nobis abesset ad Hyperlybem per 9. circiter milliaria, *Nordkyen* verò insula ad Mesolybonotum per tria circiter milliaria, vela fecimus versus Aquilonem usque ad 11. Augusti, per densam nebulam, donec Sol esset in Austro, per 10. circiter milliaria. 11. Augusti.

Inde converso cursu ad Hypereuronotum, flante Cæcia vela fecimus usque ad 12. Augusti, Sole existẽte in Notozephyro, per 8. circiter milliaria. Deinde *Nordkyen* ad Hyperlybonotum à nobis circiter per octo milliaria distante: delati sumus cum tranquillitate usque ad 13. Augusti, Sole existente in Austroafrico, per quatuor circiter milliaria. 12. Augusti. 13. Augusti.

Postea velificatio facta versus Meseurũ per binas circiter horas, & navis cui nomen Ferreus Porcus cũ vectoribus & mercatoribus, cursum direxit ad Austrum: nos verò vela fecimus usque ad 14. Augusti, donec Sol esset in Austro, per 18. circiter milliaria, eundem cursum maxima ex parte sequentes usque ad 15. Augusti, Sole in Subsolano existente, tum jacta bolis ad 70. orgyias, & prosequuti sumus navigationẽ donec Sol esset in Austro per 3 8. milliaria. 14. Augusti 15. Augusti.

Sole in meridie existente, eius altitudo comperta 70. graduum 47. scrupulorum. Tum nocte jacta bolide, profunditas deprehensa 40. orgyiarum arenosus fundus & pulvinus. Sole in Arctozephyro existente bolis denuo jacta ad 60. orgyias, & progressi sumus ad Vulturnum usque ad 16. Sole in Arctapeliote existente, istic demissa bolida ad 80. orgyias, funiculo non longiore, fundus non repertus, & deinde converso cursu versus Subsolanum & Hypereurum, sæpe demissa bolis ad 60. aut 70. orgyias, plus minus, velificatio facta donec Sol in Austro esset per 36. circiter milliaria. 16. Augusti.

Deinde vela fecimus versus Subsolanum usque ad 17. Augusti, Sole in Oriente existente, & jacta bolis ad 60. orgyias, argilloso fundo. Tum Solis altitudo sumpta cum esset in Hyperlybonoto ad 69. gradus 54. scrupulos seu minuta, conspeximusque maximam glaciei abundantiam secundum littus Novæ Zemblæ, jacta bolide ad 75. orgyias repertus fundus firmus & solidus, velificatio autem facta per 24. circiter milliaria. 17. Augusti.

Postea diversos cursus instituimus propter glaciem, nunc versus Meseurum, mox versus Vulturnum usque ad 18. Augusti, Sole in Oriente existente, per 18. circiter milliaria. Tum demissa bolide ad 30. orgyias, repertus fundus solidus, & binis postea horis ad 25. orgyias arena rubra, distincta parvis frequentibus maculis: sesqui hora post repertus ad 20. orgyias fundus rubræ arenæ nigris punctis distinctæ ut antea: tum apparuerũt nobis duæ insulæ, quibus Enchusani nomẽ indiderunt *Orangiæ*, à Principe Mauritio & eius fratre, quæ nobis erant ad Notapeliotẽ oppositæ circiter per 3. milliaria, humilis terra, & velificatio facta donec Sol in Austro existeret per 8. milliar. 18. Augusti.

Deinde versus Subsolanum velis factis & diversis vicibus jacta bolide, repertus fundus ad 20. 19. 18. & 17. Orgyias, magna ex parte solidus nigris maculis distinctus, & Sole Occidente conspectum fretum *Weygatz* nobis oppositum versus Cæciam circiter 5. milliaribus, confectaque circiter 8. milliaria. Weygatz.

Velificatio porrò facta à 70. gradibus usque ad *Weygatz* magna ex parte per glaciem confractam. Quo pervenientes, demissa bolide, multo tempore altitudinem a 3. & 14. orgyiarum deprehendimus, solido fundo, nigris maculis conspersо. Paulo post jacta bolide, altitudo inventa 10. orgyiarum, spirante Aparctia, & continuo inter glaciem versabamur, & ferebamur à glaciei abundantia, usque ad mediam circiter noctem. Tum ad Septentrionem cõvertere nos oportuit, propter lingulas quasdam ad australe *Weygatz* latus rectè nobis oppositas ad sesquimilliare 10. orgyias altas, & mutato cursu, & per binas horas versus Corum navigavimus. Deinde denuo mutatus cursus versus Subsolanum & Hypereurum, & perventum ad *Weygatz*, demissaque bolide fundus subinde repertus 7. orgyiarum, paulo plus aut minus, usque ad 19. Augusti, tum Sole in Notapeliote existente, ingressi sumus *Weygatz* in navium stationem, spirante Aparctia. 19. Augusti.

Angustiæ illæ inter Imaginum angulũ, & Samiutarũ regionẽ, glacie erant plenæ, ut vix per eam transitus tentari posset, & per navium stationem hac ratione navigavimus, quam Pinguedinis sinum nũcupavimus, quia istic plurimã pinguedinẽ invenimus. Valde cõmodus est hic sinus adversus glaciei cursum, tutusq; fere ab omnib. ventis in quo velificari licet ad placitũ altitudine 5.4.3. orgyiatũ, fũdo solido & firmo. Ad Orient. littus profũdior est aqua.

20. Augusti. x x. Augusti, radio astronomico Solis altitudo explorata, & inventa supra Horizontem esse 69. gradibus. 21. scrupulis cum esset in Hyperlybonoto in summa sua altitudine, aut antequam declinare inciperet.

21. Augusti. x x I. Augusti 54. è nostris in continentem *Weygatz* profecti, ad explorandum eius loci situm. Progressi circiter 2. milliaribus in interiorem regionem, invenimus diversas rhedas onustas pellibus, pinguedine, & simillibus mercibus, etiam hominum vestigia & Rangiferorum, ex quibus conijcere licuit, vicinis locis homines debere habitare, aut commercij causa eô advenire. Quæ conjectura magis cõfirmabatur, ex pellium abundantia, quã in statuarum sive imaginum angulo (sic à nobis nuncupato) copiose invenimus: quod decimo post die à Samiutis & Russis plenius intelleximus, quando cum eis sermones contulimus, ut sequentia docebunt.

Nautæ in continentẽ Weygatz proficiscũtur.

Imaginum angulus à frequentia imaginum dictus.

Weygatz ab hominibus habitari.

Cum postea è *Weygatz* in continentem progressi essemus, omnem rationem inivimus quo modo ædificia aliqua invenire possemus, aut aliquos homines, a quibus intelligeremus commoditatem navigationis vicinis locis. Postea à Samiutis edocti sumus & in *Weygatz* & in *Nova Zembla* homines habitare, neminem tamen istic invenimus, neque ædificia, nec aliud quidpiam, itaque ut plenius indicium nancisceremur cum quibusdam ex nostris longius versus Notapeliotem sumus progressi, ad maris littus. Eo proficiscentes, semitam reperimus in palude ad dimidium crus profundam, tam altè enim fixo pede solidum & durum fundum invenimus, ubi autem minor profunditas, paululum supra calceos pertingebat. Cum igitur ad littus pervenissemus, gaudio perfusi sumus, quia videbamur aperturam quandam conspicere, qua transire possemus, nam istic paucam glaciem videbamus. Sub vesperam ad navem redeuntes, id nostris pro læto nuncio retulimus. Nostri naucleri etiam scapham quæ remis impellitur emiserant, ad explorandum an Tartaricum pelagus apertum esset, sed in mare usque penetrare nequiverunt, ob glaciem, & ad Crucis angulum pervenientes, relicta istic scapha, terrestri itinere profecti ad Dissidij angulum, unde conspexerunt glaciem è Tartarico pelago profluentem ad oram Russiæ & VVeygatz in angulo prorsus compressam & constipatam.

Hæc Topographia demonstrat apparentiam, situm & protensionem Weygatz (alias Fretum Nassovicum nuncupati) Insulas Ordinum, Pinguedinis Sinum, Imaginum angulum, Crucis angulum, & Dissidij angulum, altitudinem, singularum, & eis adiacentium, quæ in Weygatz, & ulterius ad Orientem in Tartarico pelago sunt.



XXIII. Augusti reperimus naviculam ex *Pitocre*, Lodgie ipsis nuncupatam, funiculis connexam, quæ versus Septentrionem navigarat, ut inde Rosmarorum dentes, pinguedinem, & anseres reportaret, ad onerandas naves quæ ex Russia erant adventuræ per *Weygatz*, quemadmodum nobis cum conferentes sermones dixerunt, eas videlicet naves adventuras ad vela facienda in Tartaricum pelagus, ultra flumen *Oby*, usque ad locum *Ugolita* nuncupatum in Tartaria, ad hiemem totam permanendum, pro solito quotannis more. Referebant intra 9. aut 10. hebdomadas fretum glacie concretum iri, & cum congelari incipit, illico totum cõcrescere, atque tum per glaciẽ posse excurri usque in Tartariam, ultra mare quod ipsi *Mermare* appellant. 23 Augusti: Navicula reperta quæ funiculis connexa erat.

XXIIII. Summo mane ad eorum navem appulimus ad plenius intelligendum de mari, ad Orientale latus *Weygatz*, & abunde satisfactum nostræ petitioni, ut dictum est. 24. Augusti.

XXV. Augusti denuo ad Russorum navem tendimus, & amice cum illis sermones contulimus, amicitiam vicissim ab illis experti sumus, nam nobis primum octo præpingues anseres donarunt, quorum magnam copiam in sua nave patente loco habebant. Periculum fecimus an unus aut alter illorũ ad nostram navem proficisci vellet, illorum septem cum magna lætitia nobiscum profecti sunt. Navem ingressi, eius magnitudinem, & insignem apparatum valde admirati sunt: & postquam & proram & puppim probe observassent, proposuimus illis carnes, butyrum, & caseum: sed renuerunt, dicentes eo die sibi jeiunandum; conspicientes tamen halecem sale conditũ, omnes eum manducarunt, etiam caput & caudam devorantes. Postea quam ederunt, Vasculum halecibus plenũ illis donavimus, pro quo nobis magnas gratias egerunt, hæsitantes qua in re pro eo munere nobis gratiam rependerent, eosque nostra scapha exceptos in Pinguedinus Sinum reveximus. 25. Augusti. Russorum discessus.

Meridie solvimus flante Coro. Protenditur *Weygatz* ad Orientem usque ad Crucis angulum, deinde ad Arctapeliotem usque ad Dissidij angulum, paullo ad Orientem vergentem: postea ad Aquilonem & Hyperboream, cũ ad Septentriones paululum ad Zephyrum vergentes: Vela fecimus versus Arctapeliotem paullulum ad Subsolanum vergentem per bina milliaria ultra Dissidij angulum: sed ob glaciei abundantiam regredi oportuit, & cursũ dirigere ad prædictam nostram Navium stationem. In reditu invenimus apud Crucis angulum, commodum locum ad anchoras ea nocte figendas. Weygats extensio.

Topographia repræsentans Samoitas cum ipsorum Rege, eorum situm, amictum & mores, eorum rhedas, & velocem cursum earum additis rangiferis quæ trahebant, ut præterea nostri amicè eos compellarunt, & tandem amicè ab invicem discesserint.



26. Augusti. XXVI. Augusti mane sublatis anchoris vela fecimus dolone substricto, ad veterem nostram navium stationē, ut istic commodius tempus expectaremus.

28. 29. 30. 31. Augusti. XXVIII. XXIX. & XXX. Augusti usque ad 31. magna ex parte flavit Notozephyrus, & *Willelmus Bernardi f.* noster Præfectus vela fecit ad Australis lateris *Weygatz* continentem, ubi aliquos agrestiores homines repererunt Samiutas appellatos circiter unum milliare in interiore regione (non tamen nimium agrestes, quia 20. illorum cū nostrorum 9. sermones contulerunt) cum neminem se reperturos cogitarent, quandoquidem ante in continente *Weygatz* neminem prorsus conspexeramus: reperimus autem eorum binas turmas cælo nebuloso, quinque videlicet in singulis turmis simul junctos: valde autem eis vicini fuimus antequam eos observaremus. Tum noster interpres paululum progressus ad eos compellandos: hoc animadvertentes, etiam unum ex suis contra miserunt, qui nostro vicinus factus, ex pharetra telum deprompsit, minitans se eum periturum, noster cum inermis esset, metuens, proclamavit rustico sermone, noli telum emittere, sumus amici: quo audito ille arcum & sagittam humi abiecit eo indicio declarans se libenter cum nostro interprete sermones conferre velle. Quod noster conspiciens, denuo clamavit, sumus amici; cui alter respondit, gratus sit igitur adventus, seque mutuo salutarunt rustico more, singuli caput ad terram inclinantes. Hac oblata occasione, percōtatus est eum noster de regionis situ & maris Orientē versus per *Weygatz*, ad quæ ille commodè respondit, dicens, Superato promontorio quod circiter quinque dierum itinere abest, protensa manu ad Arctapeliotem, tum reperiri ingens mare, protensa manu versus Notapeliotem, addens sibi illud mare probe cognitum, quia illuc ab ipsorum Rege quidam fuerat missus, cum hominum caterva, cui ipse præfuisset.

Delineatio vestium & formæ Samiutarum. Vestium quibus utuntur forma, similis est illi quam nostri pictores silvestribus hominibus tribuunt, minimè tamen silvestres sunt, sed bono intellectu præditi. Amiciuntur pellibus Rangiferorum à capite ad pedes, præter primates qui licet amiciantur ut prædicti, cum viri tum feminæ, caput tamen tectum habent panno aliquo colore infecto, pellibus suffulto, reliqui pileos gestant è Rangiferorum pelle confectos, pilo extrorsum eminente, & capiti adstringentes longam alunt comam, implexam, supra dorsum extra vestes promissam: ut plurimū brevi sunt corpore, lata planaque facie, parvis oculis, brevibus cruribus & divaricatis, agilesque sunt in cursu & saltu. Exteris parum fidunt, nam licet omnem amicitiam eis demonstraremus, parum tamen nobis fidebant, ut deprehendimus, cum 1. Septembris secundo in continentem venissemus, & unus è nostris ab illis arcum peteret ad cōtemplandum, illi negatus est, signo edito quod præbere nollent. Is quem Regem appellabant, habebat excubias dispositas, observantes quid ageretur, quidve emeretur aut venderetur. Tandem unus è nostris propinquius accedens, ad amicitiam cum ipso contrahendam, humaniter illum salutavit consueto ipsorum more, simulque panem nauticum sive biscoctum præbuit, ille cum magna reverentia accipiens, eum, statim edit, inter edendum nihilominus atque ante & post, diligenter observabat quidquid ageretur. Eorum rhedæ semper erāt paratæ, uno aut duobus rangiferis junctis, qui unum aut alterum hominem insidentem tam celeri cursu trahunt, ut nullus nostrorum equorū comparari illis possit. Vnus è nostris duplicem sclopum explosit versus mare, quo adeo exterriti sunt, ut currerent & subsilirent veluti insani, tamē sponte sedati & cōfirmati sunt, animadvertētes maligno animo non fuisse explosum. Per interpretem etiam illis significari iussimus, ijs armis nos uti arcuum loco, unde valde admirabantur, propter ingētem strepitum & sonitum quem ederet. Atque ut porrò viderent, quam validus istorum armorum esset ictus, unus e nostris planum lapidem medij palmi latitudine, supra colliculum imposuit satis procul à se distantem. Ipsi animadvertentes nos quidpiam istare agere velle, quinquaginta aut 60. ex ipsis paululum secedentes in circulum se disposuerunt. Tum qui sclopum habebat, lapidem globo perijt, & eum attingens in frusta confregit: unde sunt magis admirati quàm prius. Postea discessimus, utrinque magna facta reverentia, & ingressi in scapham, denuo omnes aperto capite, nos infleximus cum magna reverentia, & buccinam clangere jussimus; illi vicissim consueto ipsis more facta omni reverentia simul ad suas rhedas profecti sunt.

September. 1595.

Samiutarū rhedæ.

Samiutarū discessus.

Illis ita dimissis & aliquantulum progressis, eorum unus equitans ad littus venit, ad rudem statuam ferendam quam nostri è littore sumpserant, & in scapham intulerant. Ille scapham ingressus, statuam conspexit, & signis indicavit, perperam nos egisse, qui statuam illam abstulissemus. Nos id animadvertentes, ipsi restituimus, ille receptam tumulo imposuit proxime maris oram, nec illam tum abstulit, sed rhedam misit, quæ illam referret. Secundū hæc omnia quæ observare potuimus, arbitramur illas statuas seu imagines ligneas ab ipsis pro Dijs haberi: è regione enim *Weygatz* eo loco quem Imaginum angulum nuncupavimus, reperimus aliquot centenas eiusmodi imagines ligneas ruditer admodum fabrefactas, superiore videlicet parte rotundas, in medio aliquam eminentiam habentes pro naso, supra quem binas incisuras ab invicem separatas pro oculis, & sub naso aliam incisuram oris loco. Invenimus etiam ante illas multos cineres & rangiferorum ossa, ex quibus conijcere licet, istic suas oblationes fuisse factas.

Imaginum lignearum forma, in Imaginum angulo.

Cum iam à Samiutis discessissemus circa Solem existentem in Austro, *Willelmus Bernardi f.* noster præfectus, iterum Thalassiarcham compellavit, de dandis velis ad ulterius progrediendum, non tamen tam longo sermone atque fecerat præcedente die. Eius sermonibus auditis à Thalassiarcha & eius vicario. Respondens Admiralius, & quasi renidens, dixit, *Willelme Bernardi f.* quid tibi videtur facto opus? Tum *Willelmus Bernardi f.* mihi commodū videtur, ut vela faciamus & nostram navigationem prosequamur, ad penetrandum: ad quæ Admirallius, *Willelme*

Bernardi

Bernardi f. vide quid dicas. Hæc acciderunt circa Solem versantem in Arctozephyro.

Septembris 2. paullo ante Solis ortum eduximus anchoras, ut egrederemur, flabat enim Austroafricus, commodus ad nostram navigationem, & incommodus ad istic hærendum, quia terræ crepido humilis erat. Hoc Admirallius & eius Vicarius conspicientes, ceperunt etiam suas anchoras educere, & vela explicare. 2. Septemb.

Sol erat in Hypereuro cum nostrum dolonem substringeremus, & vela fecimus usque ad Crucis angulũ, istic iacta anchora, ad Liburnicam Admirallij expectandum, quæ magno cum labore & longo tempore ex glacie emergere potuit; subinde educta anchora.

Cum sub noctem ad nos pervenisset, mane circiter binas horas ante Solis ortum vela fecimus, & cum ortu Solis appulimus circa milliare ad Orientem Dissidij anguli, cursum tenentes versus Septentrionem, donec Sol esset in Austro, per sex milliaria. Tum ob glaciei magnam abundantiam & nebulas, & venti inconstantiam, cursum convertere oportuit, nec tamen eum rectum tenere potuimus, sed subinde convertendus fuit, nunc glaciei causa, modo secundum venti inconstantiam, & quia etiam cælum nebulosum erat, sic ut noster cursus prorsus incertus esset, & cum existimaremus nos versus meridiem ad Samiutarum regionem vela fecisse, cursum tenentes versus Notozephyrum, donec ursa minor (quam nautæ Vigiles vocant) essent in Arctozephyro, pervenimus ad Orientale latus insulæ Ordinum, circiter iactum duplicis sclopeti procul à terra ad profunditatem 13. orgyiarum.

Septembris 4. mane sublatis anchoris, propter glaciem, velificatio facta inter Ordinum insulam & Continentẽ, & proximè ad insulam accedentes ad quatuor aut quinque Orgyiarum profunditatem, rudentem in terram cõiecimus, ut tuti à glacie maneremus, atque interdum in terram egressi sumus, lepores petituri, qui frequentissimi istic reperiuntur. 4 Septemb.

Delineatio miserandæ laniena, quam ferox, truculentibus, & vorax Vrsus in duos ex nostris exercuit eos dilacerando; atque nos bis omnibus viribus adversus eum pugnantes diu fuimus occupati, ante quam illum occidere potuerimus, & quod quamdiu vixit, licet vulneratus, globis traiectus, & verberatus, prædam dimittere noluit.



Septembris 6. matutino tempore in continentem profecti sunt aliqui nautæ, ad investigandos lapillos, adamantini generis, qui in Ordinum etiam insula magna copia reperiuntur. Dum istis perquirendis intenti, contigit ut bini coniunctim cum essent, macilentus albus ursus tacitè ad eos venerit, & alterius illorum occiput ap- 6. Septem.

prehen-

prehenderit,is ignorans quid esset,vociferari incipit,quis me per occiput apprehendit? Sodalis eius qui ipsi aderat,in specu lapillos perquirens,caput sustulit ut conspiceret quis esset,is horrendum ursum conspiciens,clamore sublato,amice,inquit,ursus est,simulque cum dicto celeriter aufugit.

Ferox ursus binos homines mactat. Vrsus alterius caput statim dentibus confregit, & sanguinem exsuxit. Reliqui nautæ qui in continente venerant, statim eo concurrerunt 20. numero, ad sodalem liberandum, aut saltem cadaver urso adimendum. Cum illi & sclopis & sarissis paratis ad ursum accederent, occupatum in vorando cadavere, ursus ferox & imperterritus in eos impetu facto,unum ex illis sejungens discerpsit miserum in modū,quod reliqui conspicientes diffugerūt.

Nos animadvertentes ex navi & Liburnica nostros versus littus fugere illico in nostras scaphas descendimus, quas omni diligentia remis ad continentem impulimus ad nostros liberandos. Quo pervenientes, miserandum illud nostrorum spectaculum vidimus,ut miserè ab urso erant lacerati,itaque aitet alterum animantes, ut simul iuncti ursum adgrederemur cum sclopis,gladijs,& dimidiatis sarissis, neque quisquam cederet: sed non fuerunt omnes eiusdem sententiæ,dicebant enim nonnulli,nostri sodales jam sunt extincti, & poterimus ursum comprehendere,tametsi in tam manifestum periculum nos non conijciamus: si possemus nostros à morte liberare,tum deberemus accelararet, sed nunc nō est ita properandum,nihilominus nobis capiendus est,sed circumspectè nobis agendum,nam cum feroce & vorace bestia nobis res est. Tum tres ex nauis paullo longius progressi sunt,urso nihilominus cadaver vorare perseverante,nostram multitudinem contemnens, tametsi triginta numero essemus. Tres illi progressi fuerunt *Cornelius Iacobi f.* nauclerus *Willelmi Bernardi f. Willelmus Gysius* gubernator Liburnicæ,& *Ioannis à Nuffelen,Willelmi Bernardi f.* scriba. Cum illi ter suos sclopos explosissent,nec hilum profecissent,idem scriba aliquantulum progressus,ut ursum inter jactum haberet,ursi caput globo traiecit circa oculos,nihilominus ursus cadaver per occiput retinens,sustulit caput,sed paulatim vacillare cepit. Tum scriba, & scotus quidam gladijs ita ceciderunt,ut confrigerentur,nec tamen ursus prædam dimittere volebat. Tandem *Willelmus Gysius* adcurrit, & omnibus viribus ursi nasum sub sclopo,contudit,tum primum ursus in terram procidit magno cum eiulatu,& *Willelmus Gysius* in corpus eius insiliens,guttur illi præcidit.

7.Septemb. Deinde sepultis cadaveribus sociorum in Ordinum insula 7.Septembris,urso pellem detraxerūt,quam Amstelrodamum retulerunt.

9 Septemb. Septembris 9.ab insula Ordinum vela dedimus, terræ crepidinem legentes,sed glaciem tantam & adeo valide profluentem reperimus,ut pervadere nequiremus,sic ut sub noctem denuo ad Ordinum insulam reverteremur Zephyro spirante. Admiralij Liburnica Roterodamensis in brevia quædam impegit,sine noxa tamen pervasit.

10. Septēb. x.Septembris denuo ex Ordinum insula vela dantes versus *Weygatz*, binas scaphas præmisimus ad mare,ad explorandam glaciem, & sub vesperam simul appulimus in *Weygatz*,ubi anchoras jecimus apud Diffidij angulum sive Promontorium.

11. Septēb. xI.Septembris mane,denuo vela fecimus in Tartaricum mare,sed iterum in plurimam glaciem incidimus, ut denuo in *Weygatz* redeundum fuerit,& apud Crucis angulum anchoræ figendæ. Circiter mediam noctem conspeximus Russicam navem ab Imaginum angulo versus Samiutarum regionem vela facientem.

13. Septēb. xIII.Septembris tempestas suborta est,circa Solem existentem in Austro,ex Africo nebuloso & humido cælo,cum nivis procella,& invalescente adeo tempestate,ut ab ea ferrentur,& pellerentur.

14. Septēb. xIIII.Tempestas mitescere cepit, ventusque conversus ad Arctozephyrum æstu autem valde profluente à Tartarico mari,cælum vero serenum usque ad vesperam,spirante vesperi Arctapeliote. Eodem die profecti sunt nostri ad aliud *Weygatz* latus ad continentem,ad alvei profunditatem scrutandam, prorsus in anfractum pone insulæ lingulam penetrarunt,ubi ædiculam ligneam repererunt & ingentem aquæ torrentem. Eodem die mane convoluimus rudentem anchoram ad navem attrahentes & malum attollentes,arbitrabamur denuo nostrā navigationem nos prosequuturos: sed cum Admirallius alterius esset opinionis istic hæserunt usque ad 15. Septembris. Eodem die mane denuo profluere cepit in Orientale latus *Weygatz* glacies, adeo ut subito anchoras sublevare cogeremur,& eodem die ex occidentali latere *Weygatz* vela facere cum tota classe domum versus, ut illo ipso die insulas *Matslo* & *Delgoy* preterierimus; & tota nocte navigavimus versus Hyperargestem per 12. milliaria usque ad diem Saturni mane: noctu ventus conversus est ad Arctapeliotem & ninxit.

15. Septēb.

16. Septēb. xvI.Septembris ab aurora usque ad noctem,vela facta versus Corum per 18. milliaria ad 42. orgyiarum profunditatem. Decidebat nix densè & ventus vehementer flabat ex Arctapeliote. Primo quadrante reperta profunditas 40. orgyiarum,mane nullam totius classis navem conspeximus.

17. Septēb. Deinde tota adhuc nocte velificatio facta usque ad 17. Septembris mane, duobus maioribus velis sine appendicibus,versus Hyperargestem,& Corum sive Argestem per 10. milliaria. Eodem die,secundo quadrante habuimus profunditatem 50. orgyiarum, & matutino tempore 30. Orgyiarum fundo arenoso nigris maculis distincto.

Dominico die mane versus est ventus ad Septentriones & Circium valde vehemens. Tum ad nos advenit Admirallij Liburnica, quæ nobiscum vela fecit ab aurora usque ad vesperam, uno velo duntaxat explicato versus Lybonotū & Hyperlybonotum, per sex milliaria. Tunc nobis conspectus est angulus *Candynas* nobis oppositus ad Notapeliotem, profunditas 27. orgyiarum, arena rubra nigris punctis distincta.

Die

Die Dominico vesperi, dolon denuo expansus fuit & ad arcton conversus, & velificatio facta tota nocte usque ad diem Lunæ mane, versus Arctapeliotem & Hypercæciam per 7. aut 8. milliaria.

XVIII. Septembris mane nostram Liburnicam que nos sequebatur non conspeximus, quam requirentes usque ad meridiem, reperire nequivimus, & ferebamur versus Subsolanū per tria milliaria: adhuc à meridie usque ad noctem continuata navigatio versus Hyperboream per quatuor milliaria. 18. Septeb.

Deinde à die Lunæ vesperi usque ad diem Martis mane, versus Mesoboream per 7. milliaria, & ab aurora usque ad meridiem continuatus idem cursus per quatuor milliaria: à meridie vero usque ad noctem versus Hyperboream per 5. aut 6. milliaria cum profunditate 55. orgyiarum. 19. Septeb.

Eodem vespere conversa vela versus Austrum & navigatum usque ad auroram.

XX. Septembris directus cursus ad Mesolybonotum & Lybonotum per 7. aut 8. milliaria, cum profunditate 80. orgyiarum & limo nigro. 20. Septeb.

Deinde data vela ab aurora usque ad meridiem expansis etiam binis thoracijs sive velis in summo mali fastigio versus Mesolybem per 5. milliaria: & à meridie usque ad vesperam versus Hyperlybem per 5. alia milliaria.

XXI. Septembris à vespertino tempore usque ad diem Iovis mane ad quartam Zephyri, deinde usque ad lucē versus Zephyrum per 7. milliaria ad profunditatem 64. orgyiarum fundo uliginoso. 21. Septeb.

A diluculo usque ad meridiem versus Notozephyrum per 5. milliaria cum profunditate 65. orgyiarum fundo uliginoso. Meridie conversus cursus ad arcton & velificatio facta tribus horis versus Arctapeliotem per bina milliaria. Tum denuo conversus cursus versus Zephyrum & velificatum usque ad noctis secundam quartam cum binis maioribus velis sine appendicibus, versus Austroafricum & Hyperlybonotum, per 6. milliaria.

Deinde in secunda quarta seu quadrante secundo denuo ad arcton cōverso cursu, vela data usque ad diem veneris mane 22. Septembris versus Hyperboream & Boream per 4. milliaria: deinde ab aurora usque ad meridiem versus Arctapeliotem per 4. milliaria. 22. Septebr.

Tum converso cursu ad Zephyrum, velificatio facta versus Hyperargestem & Arctozephyrum per tria milliaria: deinde primo quadrante versus Hyperargestem per 5. milliaria, & secundo quadrante versus Mesargestem per 4. milliaria, deinde usque ad diei Sabathi auroram 23. Septembris, versus Africum & Mesolybem per 4. milliaria. A diei Saturni diluculo usque ad vesperam cum majoribus binis velis sine appendicibus versus Notozephyrum & Mesolybem per 7. aut 8. milliaria, spirante Circio. 23. Septeb.

Sub noctem ad Arcton conversi, vela fecimus usque ad Dominicum diem mane 24. Septembris cum binis maioribus velis sine appendicibus, versus Subsolanum, valide flante Coro, per 8. milliaria, & à diluculo usque ad meridiem versus Hypeteurum, per tria milliaria, spirante Aparctia. 24. Septeb.

Tum convertentes nos ad Zephyrum, vela fecimus usque ad vesperam versus Africum, per tria milliaria: & tota nocte usque ad diei Lunæ auroram 25. Septembris versus Hyperlybonotū, per 6. milliaria, spirante Aparctia. 25. Septebr.

Diluculo, vento mutato in Arctapelioten, vela dedimus usque ad noctem versus Favonium & Mesargestem, per 10. milliaria. Demissa bolide ad 63. orgyias fundus arenosus repertus.

Ab eo vespere usque ad diei Martis diluculum 26. Septembris velificatio facta versus Zephyrum per 10. milliaria. Tum comperimus nos proximos esse continenti circiter tribus milliaribus ad Orientalē partē *Kildwyn*. Mane à terræ crepidine nos convertentes, recessimus fere per spatium trium horarum. Postea convertimus nos denuo versus continentem, existimantes in *Kildwyn* ingredi, sed infra delati sumus, quam ob rem à meridie denuo à continente recessimus, & vela fecimus usque ad vesperam versus Cæciam per 5. milliaria. 26. Septeb.

Deinde adhuc à vespere usque ad secundam ante diluculum diei Mercurij 27. Septembris, versus Subsolanum per 6. milliaria. Tum conversi ad Zephyrū, vela fecimus usque ad vesperam versus Mesargestem per 8. milliaria, & circa noctem denuo pervenimus prope *Kildwyn*. Tum à crepidine obversi per binos quadrantes vela fecimus versus Hypercæciam & Cæciam, per 6. milliaria. 27. Septebr.

Tum circiter diluculum diei veneris 28. Septembris nos convertentes, vela dedimus vento admodum varie spirante, nunc in unam partem, modo in alteram, usque ad vesperam, coniectura facta, *Kildwyn* à nobis abesse versus Zephyrum 4. milliaribus: atque spirante Cæciā, vela fecimus versus Circium & Mesothraciam usque ad diei Saturni diluculum per 12. aut 13. milliaria. 28. Septeb.

XXIX. Septembris mane navigavimus versus Hyperargestem per 4. milliaria, toto illo die usque ad noctem, fuit lucidus aër, tranquillitas, & Solis splendor. Vespere, vela fecimus versus Africum, & pervenimus circiter 6. milliatibus à continēte, continuavimusque cursum usque ad Dominicum diem 30. eiusdem mensis, versus Circium, per 8. milliaria. Tum converso cursu ad continentem, pervenimus eo die in *Waerhuys*, & istic hæsimus usque ad 10. Octobris. 29. Septeb. 30. Septeb. 10. Octobr.

X. Octobris solventes ex *Waerhuys*, pervenimus in Mosam 18. Novembris, neque voluimus cursum aut milliaria à *Waerhuys* in Hollandiam usque adscribere, ut non necessaria, quia ea navigatio est quotidiana. 18. Noveb.

Finis Secundæ Navigationis.

NARRATIO TERTIAE NAVIGATIONIS QVÆ ANNO M. D. XCVI. AD ARCTON EST INSTITVTA VERSUS REGNA CATTHAY, ET SINARVM.

POSTQVAM, ut relatum est, 7. illæ naves ex Septentrionali navigatione redierunt, non cum eo fructu qui sperabatur: potentes Ordines probè consideratis omnibus rebus, deliberarunt, an Provinciarum nomine tertio aliquis apparatus fieri deberet, ad inceptam navigationem perducendam ad optatum finem, si possibile sit. Post multas deliberationes & consilia varia, in eam tandem sententiam est itum ab Ordinibus. Vt si qui essent, sive civitates, sive mercatores, qui eam navigationem adhuc experiri vellent suis sumptibus, id licere, atque navigatione absoluta, ex qua liquere posset, transitum navigantibus patere, Provinciarum nomine, divite honorario donandum iri, certâ summâ etiam indicta. Istis conditionibus fuerunt tertio ab honorando Senatu Amstelrodamensi, binæ naves initio anni apparatæ, & nautæ accepti, quibus duæ conditiones fuere propositæ, videlicet quid essent accepturi, si re infecta reverterentur: quid contra auferrent, si penetrare possent, pollicitatione facta, si navigationem commode absolverent, præmio non vulgari fore donandos, ad excitandos nautarum animos, quos cælibes quoad fieri posset, seligerent, quo minus coniugum & liberorum amore impedirentur ab opere, aut à navigatione abhorrerent.

His ergo conditionibus fuerunt initio Maij ad vela facienda apparatæ. In una fuit Nauclerus *Iacobus Heemskerck Henrici f.* cui etiam commissa mercium sive negotiationis cura, & *Wilhelmus Bernardi f.* summus Gubernator: In altera verò *Ioannes Cornelij f. Ryp*, tanquam Nauclerus, & cui etiam mercium quas mercatores navi imposuerant, cura tradita.

5. Maij. v. Porro Maij anno M. D. X C V I. facta est lustratio nautarum utriusque navis, & 10. ex Amstelrodamo
13. Maij. vela facientes, 13. in Vlie pervenerunt.

16. Maij. XVI. Vela fecimus ex Vlie, sed æstu desinente, & spirante Arctapeliote, coacti fuimus rursus ingredi, & *Ioannis Cornelij f.* navis impegit in fundum, sed liberata fuit, denuoque anchoras fiximus ad Orientale latus *Vlialandt*.

18. Maij. XVIII. Maio denuo vela fecimus ex *Vlie*, spirante Arctapeliote, tenentes cursum versus Circium.

22. Maij. XXII. Maij conspeximus insulas *Hitland* & *Feyeril* spirante Arctapeliote.

24. Maij. XXIIII. Prosperum ventum nacti, vela fecimus versus Arctapeliotem usque ad 29. Tum ventum habuimus
29. Maij. adversum Arctapeliotem qui nobis Thoracium excussit.

30. Maij. XXX. Maij denuo prospero vento spirante velificatio facta versus Arctapeliotem, & Solis altitudo requisita radio astronomico, quem comperimus elevatum supra Horizontem 47. gradibus, 42. scrupulis. Declinatio erat
Iunius 21. gradibus 42. scrupulis, sic ergo Poli altitudo 69. graduum 24. scrupulorum.

1596. 1. Iunij nullam noctem habuimus & 2. denuo adversum ventum nacti sumus, sed 4. Corum nobis faventem
1. 2. Iunius. habuimus, tendentibus ad Arctapeliotem.

4. Iunius. Sole existente circa Euronotum, admirandum signum in cælo conspeximus, nam ex utroque Solis latere ap-
Tres Soles. parebat alius Sol, & binæ Irides intersecabant tres eos Soles, deinde aliæ duæ Irides apparebant, una late Solem ambiens, & alia illam per medium secans; majorisque Solem ambientis pars inferior elevata erat supra Horizonte 28. gradibus. Meridie Sole in summa sua exaltatione existente, Astrolabio deprehensum eum supra Horizontem 48. gradibus 43. scrupulis elevatum esse, declinatio erat 22. graduum 17. scrupulorum, 22. illis gradibus & 17. scrupulis additis ad 48. gradus & 43. scrupulos, compertum nos Poli altitudine 71. graduum habuisse.

Ioannis Cornelij f. navis nobis ventum adimebat, neque ad nos accedebat, sed profecti sumus illi uno rhombo obviam, versus Arctapeliotem tendentes, quoniam existimabamus nos nimium versus Zephyrum tendere, ut postea apparuit, alioqui cursum versus Arctapeliotem direxissemus. Cum sub vesperam conveniremus, illi diximus, magis ad Orientem cursum debere dirigere, quia nimium ad Occidentem tendebamus: sed eius navis Gubernator respondit se non velle in *Weygatz* sinum ingredi. Eorum cursus ad Hypercæciam erat, & nos pæne 60. milliaribus in Mari procul à continente eramus, cùm deberemus ad Arctapeliotem tendere, cum Septentrionale Promontorium conspiceremus: propterea convenisset tum potius versus Cæciam tendere quàm versus Aquilonem, quia adeo ad Occidentem declinaveramus, ut denuo in rectum cursum navigationem reduceremus: propterea eos corripientes dicebamus nos debuisse potius versus Orientem cursum dirigere, saltem per aliquot milliaria, donec denuo in rectum cursum reduxissemus, quod adversorum ventorum flatu perditum erat, tum etiam quod Arctapeliotes spirabat: sed quidquid illis diceremus, & ipsis consuleremus, alium cursum tenere noluerunt quam versus Boream, quia, ut aiebant si versus Orientem tenderemus, in *Weygatz* nos perventuros: & cum multis asperioribus verbis non possemus illis persuadere, nos uno rhombo ad eorum dextram vela fecimus.

Delineatio sive figura admirandi signi in cælo conspecti 4. Iunij anno M. D. XCVI. *Solis utrinque alium Solem habentis, & duarum Iridum eos tres Soles secantium, deinde aliarum duarum Iridum, unius late Solem ambientis, & alterius magnum illum orbem secantis, cuius maioris orbis infima pars supra Horizontem elevata 28. gradibus.*



v. Iunij apparuit nobis prima glacies, quod admirati sumus, existimantes initio Cygnos albos esse, quia quidam ex nostris supra tabulata obambulans inopinanter exclamare cepit albos cygnos istic natare. Quod audientes qui sub tabulato erant, subito exiliunt, atque animadvertunt glaciei fragmenta esse abrupta à maiore glacie & fluitãtia, cygnis non dissimilia, quia jam advesperascebat. Media nocte per glaciem vela fecimus, atque Sol pæne uno gradu supra Horizontem erat. 5. Iunij.

vi. Iunij sub vesperam circa quartam horam denuo in glaciem incidimus, adeo abundantem, ut penetrare nequiremus, sed cursus divertendus esset versus Mesolybem per quatuor horarum spatium. Deinde cursum institutum prosequuti sumus versus Boream, secundum glaciem navigantes. 6. Iunij.

vii. Iunij Solis altitudinem dimensi sumus, quæ fuit supra Horizontem 51. gradibus 22. scrupulis, eius declinatio erat 22. grad. 38. scrupulorum, qui additi altitudini repertæ, 74. gradus efficiunt quibus polus fuit elevatus. Istic adeo densam glaciem reperientes, quæ verbis vix exprimi possit, secundum eam navigationem instituimus; perinde ac si inter duos continentes vela fecissemus: atque aqua non minus viridis erat quàm gramen, sic ut arbitraremur nos apud *Groenlandiam* esse; atque quo longius progrediebamur, eo magis in densiorem glaciem incidebamus. 7. Iunij.

viii. Iunij ad tantum glaciei cumulum pervenimus, ut penetrare nequiremus ob summam dẽsitatem, propterea convertimus cursum versus Mesolybem per horæ spatium, & per sesqui horam versus Austroafricum, & deinde adhuc per sesquihoræ spatium versus Austrum, cum ut ad Insulam quam conspiciebamus, appelleremus, tum etiam ad glaciem vitandum. 8. Iunij.

ix. Iunij reperimus Insulam sitam sub 74. gradu & 30. scrupulis, quinque ut coniectabamus milliaribus amplã. 9. Iunij.

x. Iunij, educta scapha, octo in insulam vehebamur, sed transeuntes secundum *Ioannis Cornelij f.* navem, octo alij viri cũ navis gubernatore in nostram scapham ingressi. Tum percontatus est eum *Willelmus Bernardi f.* summus noster gubernator, an nõ nimium ad Occidentem delati essemus, sed ille præfractè non voluit id fateri, quã ob causam multa fuerunt commutata verba, quia *Willelmus B. f.* contrarium demonstrare voluit, ut re vera erat. 10. Iunij.

11. Iunij. XI. Iunij ad terram pervenientes, multa Gaviarum ova invenimus: istic in magnum vitæ periculum incidimus; nam conscenso nivibus obsito monte prærupto, in descensu, videbamur præcipites vel in præceps lapsuri adeo præruptus erat is mons, sed natibus insidentes, paulatim per lubrica delapsi sumus, ut etiam conspicientibus metus incuteretur: nam cum ad radices montis plurimi essent scopuli parum abfuit quin in eos præcipites ferremur, atque ita confringeremur: sed Dei auxilio sine ulla noxa descendimus. Interea *Willelmus Bernardi f.* qui è scapha nos descendentes conspiciebat in maiore quàm nos formidine versabatur. Inde scapham remis impellendo, ad *Ioannis Cornelij f.* navem appulimus & istic ova edimus.

12. Iunij. XII. Iunij mane album ursum conspeximus, quem scapha remis impulsa persequuti sumus, existimantes laqueo in eius collum iniecto, posse eum capere: sed vicini ipsi facti animadvertimus adeo robustum, ut adgredi nō auderemus, & ad navem regressi simus plures & arma accersituri, deinde rursum illum insequuti sumus cū sclopis, securibus romanis quas hallabardas vulgo vocant, & communibus securibus: adiunxerunt se etiam *Ioannis Cornelij f.* nautæ cum sua scapha, ut nobis exilio essent.

Probe igitur muniti viris & armis, binas scaphas remis impulimus versus ursum, quem fere per binas horas oppugnavimus, quia nostris armis vix illum attigimus, tandem magna securi vulnus adeo valide eius dorso incussū ut ea in vulnere hæserit, nihilominus cum secure enatavit, sed semper eum persequentes, tandem eius caput securi confractum, adeo ut mors consequeretur. Cadaveri deinde in *Ioannis Cornelij f.* navem illato, cutem detraximus, quæ fuit 12. pedes longa, ejus carnes etiam degustare voluimus, sed fuerunt nobis noxiæ. Eam insulam nuncupavimus Vrsi insulam.

Delineatio admirabilis pugnæ cum feroce & imperterrito urso factæ, quem bina scapha viris plena diu oppugnarunt, & magna ex parte arma confregerunt, ante quam eum superare possent: propterea Insula, in qua hæc contigerunt, ab urso cognomen inditum.



13. Iunij. XIII. Iunij solvimus ab Insula & versus Septentrionem tendebamus aliquantulum ad Orientem declinantes, spirante Zephyro & Notozephyro, secundo progressu, sicut Sole existente in Septentrione 16. milliaria secundum conjecturam confecerimus ab Insula versus Septentrionem.

14. Iunij. XIIII. Iunij circiter Solem in Aparctia versantem, demissa est bolis ad 113. Orgyias, nec fundus repertus,

15. Iunij. & vela ulterius data usque ad 15. Sole in Austro existente, nebuloso & pruinoso aëre, versus Aparctiam & Hyperboream. Circa vesperam aëre aliquantulum lucidiore facto magnum quidpiam in mari fluitans conspeximus,

mus, quod initio navem esse arbitrabamur, sed viciniores facti, ingens cete esse animadvertimus, cui insidebant lari magno numero, & valde foetidi odoris: tum 20. adhuc milliaria confeceramus.

XVI. Tali progressu vela facientes versus Hyperboream nebuloso aëre, glaciem exaudiebamus ante quam eam videremus, tandem clarescente aëre eam conspeximus, & ab ea divertimus, cum secundum nostram conjecturam per 30. milliaria vela fecissemus. 16. Iunij.

XVII. & XVIII. Iunij denuo conspeximus maximã glaciei quantitatem, secundum quam velificatio facta donec ad angulũ perveniremus, quem superare nequivimus, quia Notapeliotes nobis erat adversus, & Glaciei angulus nobis ad Austrum erat oppositus. Oblique aliquamdiu navigavimus, ut illum superaremus, sed irrito labore. 17.18. Iunij.

XIX. Iunij denuo terram conspeximus. Tum sumpta Solis altitudine, eam reperimus supra Horizontem 56. graduum & 45. scrupulorum esse: declinatio erat 23. graduum & 26. scrupulorum, qui altitudini Solis repertæ adiuncti, faciunt altitudinem Poli 80. graduum & 11. scrupulorum. 19. Iunij.

Hæc terra valde ampla erat, secundum quam versus Zephyrum vela fecimus usque ad 79. gradum cum semisse, ubi commodam Navium stationem invenimus, nec terram propius accedere licebat, quia Arctapeliotes spirabat recte à terrâ, & Sinus recta in mare versus Austrum protentus erat.

XXI. Iunij, anchoram fiximus ante continentem, & nos cum Ioannis Cornelij f. *nautis profecti sumus ad Occidentale latus terræ, saburram requisiturĩ, cumq́; cum saburra ad naves reverteremur, denuo album ursum conspeximus ad nostrã navem adnatantem, quæ causa fuit ut opere relicto in scapham descenderemus, &* Ioannis Cornelius f. *nauta pariter, & remis scaphas impellentes Ursum persequeremur, quem via intercepta à continente propellebamus. Illum versus altum mare natantem persequebamur, & cum nostra scapha lentius progrederetur, lintrem etiam eduximus, ad cursum commodius persequendum: sed ille in mare pæne milliari enatavit, eum nihilominus persequuti sumus cum maxima parte nautarum & tribus scaphis, plurimumque laboravimus, cadendo & feriendo, ut maiore ex parte nostra arma confringerentur. Ille semel ungues in nostrum lintrem iniecit, ut etiam vestigia relinquerentur, idque in anteriore parte; quod si in latus cimbæ pedem iniecisset, eam forte evertisset, adeo robustos habent ungues: tandem cum diu inter tres lintres eum fatigassemus, eum superavimus & mactavimus, & in navem pertractum excoriavimus, eius pellis 13. pedes longa.* 21. Iunij.

Deinde cum nostra scapha seu lintre fere per milliare remigavimus versus continentem, ubi commodum portum reperimus & solidum fundum, ad Orientale verò latus arenosus erat fundus. Iacta bolide repertus fundus ad 16. Orgyias, deinde ad 10. & 12. Et continuantes remigationem invenimus ad Orientale latus binas Insulas, ad Orientem in mare procurrentes. Ad Occidentale latus erat etiam ingens Sinus, qui pæne Insulam æmularetur. Tum remigantes ad insulam quæ media erat, in ea multa ova Barniclarũ (quas Hollandi Rotgansen *appellant) & ipsas nidis incubantes invenimus quæ fugata clamabant, Rot, Rot, Rot (unde illis nomen) & lapide iacto unam occidimus, quam coctam edimus cum circa 60. ovis, quæ in navem detuleramus.* Barniclæ ova ponunt & pullis educant in Groenlãdia sub altitudine 80. graduum.

Isti anseres, sive Barniclæ, fuerunt veri anseres Rotgansen *dicti, quales magna quantitate singulis annis circa Wieringen in Hollandiã veniunt & capiuntur, quas hactenus ignoratum fuit ubi ova ponerent, & pullos educarent. Hinc factum, ut nonnulli Auctores non veriti sint scribere, quod in Scotia in arboribus nascantur, è quarum ramis supra aquam expansis si fructus in aquam decidant anserum pullos gigni qui statim natent, qui vero in terram, corrumpi, nec ad frugem pervenire. Quod falsum esse nunc apparet. Nec mirum hactenus ignoratum esse, ubi hæ aves ova ponerent, cum nullus (quod compertum sit) unquam ad 80. usque gradum pervenerit, nec ea regio illo loco unquam fuerit cognita, multo minus illi anseres ovis incubantes.*

Illud etiam animadversione dignum, quod licet hæc regio, quam arbitramur esse Groenlandiam, sita sit sub 80. gradu & etiam amplius, frondib. & gramine abundat, & animalia gramine vescentia alit, ut sunt Rangiferi & alia istic viventia: in Nova tamen Zembla, quæ sub 76. gradu est, neque frondes, neque gramen reperiatur, nec etiam animalia gramine vescentia, sed carnivora duntaxat, ut Ursi & vulpes, cum tamen 4. gradibus remotior à Polo sit, quam Groenlandia. NOTA.

XXIII. Iunij subductis anchoris vela fecimus in mare versus Arctozephyrum, procul tamen navigare nequivimus, quia fugienda nobis fuit glacies, regressique sumus in eundem locum unde discesseramus, anchorasque fiximus ad 18. orgyiarum altitudinem. 23. Iunij.

Deinde denuo sublatis anchoris navigavimus secundum Occidentalem crepidinem, & nostri nautæ in terram excenderunt, ut observarẽt variationem acus pyxidulæ nauticæ. Interea albus ursus ad navem adnatabat, & in eã conscendisset, nisi exclamassemus, petijmus eum sclopo, eam ob causam à nave recedens natabat versus Insulam in qua nostri erant. Quod conspicientes, vela fecimus versus terram, & valde exclamavimus, ita ut nostri æstimarent nos in scopulum impegisse, & valde anxij essent, & simul ursum terror invaderet, ut denuo à continente natatet, & nostros desereret, qua re non mediocriter sumus læti, quia nostri inermes erant.

Quantum ad variationẽ pyxidulæ nauticæ, propter quam in terram excenderant, ut perfectius metirentur, cõpererunt 16. graduum differentiam.

Eodem die pervenimus in aliam insulam, in qua comperimus pyxidulæ variationem prorsus diversam, sic ut paucam coniecturam inde sumere possemus. Istinc ablatis aliquot ovis, denuo ad navem remigijs acti sumus.

XXIIII. Iunij spirãte Notozephyro, eam insulam superare nequivimus, eam ob causam regressi, alium portum reperimus 4. milliarib. distantem à priore ad Occidentale latus maioris portus, & istic demisimus anchoras

ad 12. orgyiarum profunditatem, remis acti sumus satis magno spatio interius, & excensione in terram facta, binos Rosmari dentes reperimus simul sex libras pendentes. Plures alios dentes minores adhuc reperimus, & denuo ad navem redimus.

25. Iunij. XXV. Iunij sublatis denuo anchoris vela fecimus secundum terram versus Austrum & Austroafricum, spirante Borea usque ad 79. gradum. Vbi reperto ingenti Sinu, in eo navigavimus circiter per 10. milliaria versus Austrū: sed observavimus non esse pervium. Demissa interdū bolide ad 10. orgyias, sed nos obliquo cursu denuo egredi oportuit quia ventus spirabat ab Arcto, & ad Arcton tendere debebamus, & animadvertimus ad cōtinentem porrigi, quod e longinquo, quia humilis terra erat, observare nequiveramus, propterea vela fecimus quàm proxime

27. Iunij. potuimus, donec animadverteremus, & obliqua navigatione denuo egrediendum esset 27. die.

28. Iunij. XXVIII. die superavimus angulum ad Occidentale latus situm, ubi tanta erat frequentia avium, ut præ stupiditate in nostra vela impingerent volantes, & circiter per 10. milliaria versus meridiem navigavimus, & deinde versus Occidentem ad evitandam glaciem.

29. Iunij. XXIX. Iunij velificatio facta secundum terram versus Notapeliotem aliquantulum ad Subsolanum vergentem, usque ad 76. gradus 50. scrupulos, quia à terra secedere debuimus glaciei causa.

30. Iunij. XXX. Iunij navigavimus versus Austrum aliquantulum vergentes ad Subsolanum, tum sumpta Solis altitudo quæ fuit supra Horizontem 51. gradibus 40. scrupulis eius declinatio erat 23. graduum, 20. scrupulorum qui additi elevationi repertæ, indicant nos fuisse sub 75. gradu.

IVLIVS. 1596.

1. Iulij. Prima Iulij dēnuo nobis apparuit Vrsorum insula. Tum *Ioannes Cornelij f.* cum ijs qui in eius navi aliquo munere fungebantur ad nostram appulit, & nos compellavit de cursu mutando: atque ut eramus alterius opinionis quàm ipse, decretum fuit ut nos cursum nostrum prosequeremur, & ipse suum: videlicet, ipse, prout desiderabat, denuo navigaret versus 80. gradum, nam imaginabatur, se facile penetrare posse ad Orientale latus terræ sub 80. gradu sitæ, atque in hunc modum ab invicem segregati fuimus, ipsi enim versus Arcton navigarunt, & nos versus Austrum, ob glaciem spirante Vulturno.

2. Iulij. Iulij 2. navigavimus versus Orientem, habentes elevationem 74. graduum spirante Circio, & convertimus nos ad alterum angulum spirante Cæcia & navigavimus versus Arcton Sub vesperam, Sole existente in Mesothracia, denuo cursum convertimus propter glaciem, Subsolano flante, & vela fecimus versus Euronotum, atque circa Solem existentem in Vulturno, denuo cursus mutatus glaciei causa. Sole autem in Africo existente, convertimus denuo versus Arctapeliotem.

3. Iulij. III. Iulij habuimus altitudinem 74. graduum cum Meseuro, velaque fecimus versus Mesoboream. Deinde spirante Austro nos convertentes navigavimus versus Vulturnum donec Sol circa Arctozephyrum esset. Tum cepit ventus intensior fieri.

4. Iulij. IIII. Iulij vela dedimus versus Mesocæciam, nec glaciem conspeximus, quod admirati sumus, quandoquidem sub tanta altitudine navigaremus: sed circa Solem existentem in Austro, convertere nos oportuit glaciei causa, & cursum tenuimus versus Zephyrum, spirante Aparctia: deinde Sole in Aparctia existente, spirante Arctapeliote, navigavimus versus Vulturnum.

5. Iulij. V. Iulij vela fecimus versus Boream, donec Sol in Austro esset. Deinde cursum convertimus ad Vulturnum spirante Arctapeliote. Tum perquisita Solis altitudo quæ fuit supra Horizontem 50. gradibus 27. scrupulis, declinatio erat 22. graduum, 53. scrupulorum seu minutorum, his additis ad altitudinem repertam, compertum est nos Polum habere elevatum 73. gradibus & 20. minutis.

7. Iulij. VII. Iulij demisimus bolidem cum integro cui appēsa erat, funiculo, nec fundum reperimus, ferebamur à Hypercæcia versus Hypereurum, eramusque sub elevatione 72. graduum 30. scrupulorum.

8. Iulij. VIII. Iulij prospero spirante Hyperthracia, navigavimus versus Mesocæciam cum frigidiuscula aura pervenimus ad Poli elevationem 72. grad. 15. scrup.

9. Iulij. IX. Spirante Zephyro, vela fecimus versus Mesocæciam. 10. autem circa Solem existentem in Lybonoto, demissa bolide ad 160. orgyiarum profunditatem, spirante Mesoborea, navigantes versus Hypereurum ad elevationem 72. graduum.

11. Iulij. XI. Habuimus profunditatem 70. orgyiarum, nec glaciem invenimus. tum cōiectura fuit nos esse recte ad Austrum & Aparctiam *Candinas*, quod Orientalis est angulus albi maris quod ad Austrum nobis erat oppositum, habentes arenosum fundum, erat autem pulvinus porrectus in mare, sic ut non dubitaremus quin essemus supra pulvinum Maris albi: quia tota illa ora nunquam arenosum fundum repereramus præter pulvinum illum, spirabat Hypereurus & navigabamus versus Austrum & Meseuronotum, sub elevatione 72. graduum, nacti deinde Euronotum, cursum direximus versus Arctapeliotem, ut superare possemus pulvinum.

Mane ferebamur cum tranquillitate, & comperimus nos esse sub elevatione Poli 72. gradibus, & nacti denuo Vulturnum circa Solem existentem in Notozephyro, vela fecimus versus Arctapeliotem, & demissa bolide reperta est 150. orgyiarum pofunditas fundi argillosi, superaveramusque pulvinum qui valde angustus erat, sic ut

septem

ſeptem horarum ſpatio, Sole in Borea exiſtente eum ſuperaverimus.

XII. Iulij ſpirante Apeliote, navigavimus verſus Hyperboream. Nocte circa Solem in Borea exiſtentem, converſo curſu quia Boreas ſpirabat, velificatio facta verſus Hypereurum, donec primus quadrans effluxiſſet. 12. Iulij.

XIII. Iulij ſpirante Borea, navigavimus verſus Subſolanum, & ſumpta Solis altitudine, eam eſſe deprehendimus 51. gradibus 6. ſcrupulis ſupra Horizontem, declinatio erat 21. grad. 54. ſcrupulis, qui adiuncti altitudini repertæ, reperta eſt Poli altitudo eſſe 73. & denuo incidimus in glaciem, ſed non multam, arbitrati nos *Willebuys* terræ vicinos eſſe. 13. Iulij.

XIIII. Iulij ſpirante Circio, vela fecimus verſus Arctapeliotem, & durante prandio per glaciem, & demiſſa inter mediam glaciem bolide, invenimus profunditatem 90. orgyiarum, altero quadrante demiſſa iterum bolide, altitudo 100. orgyiarum reperta, & tam procul in glacie navigavimus, ut ulterius nequiremus, quia nulla apertura apparebat, ſed cum magno labore debuimus nos ex glacie explicare curſum hac illac obliquè convertendo, flante Zephyro, tum habuimus altitudinem 74. graduum 10. ſcrupulorum. 14. Iulij.

XV. Iulij cum tranquillitate ferebamur inter mediam glaciem, & demiſſa bolide, altitudo reperta 110. orgyiarum, & ſpirante Apeliote navigavimus verſus Notozephyrum. 15. Iulij.

XVI. Iulij egreſſi glacie, conſpeximus ingentem urſum ipſi inſidentem, qui nobis conſpectis in aquam inſiliit, nobis illum velificatione facta ſequentibus, denuo ſupra glaciem ſe contulit, globo tamen illum petijmus. Navigantes verſus Eurum nullam glaciem obſervavimus, & arbitrabamur nos non procul abeſſe à *Nova Zembla*, qui urſum glaciei inſidentem videramus: demiſſa bolide 100. orgyiarum profunditatem invenimus. 16. Iulij.

XVII. Obſervavimus Solem elevatum eſſe ſupra Horizontem 37. gradibus 55. ſcrupulis, eius declinatio erat 21. grad. ſcrup. 15. qui deducti de elevatione manent 16. gradus ſcrupuli 40. ij detracti de 90. gradibus, Poli altitudinem demonſtrarunt eſſe 74. graduum 40. minutorum. Sole circa Auſtrum exiſtente conſpeximus continentem *Nova Zembla*, circa *Lomſbay*. Sed ego omnium primus. Tum mutato curſu navigavimus verſus Hypercæciam, & omnia vela contraximus præter anterius Thoracium & epidromum. 17. Iulij.

XVIII. Iulij apparuit denuo nobis terra, cum haberemus altitudinem 75. graduum, & vela faceremus verſus Meſoboream, ſpirante Arctozephyro. Superavimus autem angulum Inſulæ Admiralitatis cognomine dictæ, ſpirante Zephyro, & navigantes verſus Cæciam, porrecta vero eſt terra ad Hypercæciam. 18. Iulij.

XIX. Iulij pervenientes ad Crucis inſulam (ſic appellatã ob binas Cruces in ea ſitas) longius progredi nequivimus propter glaciem quæ adhuc in crepidine iacebat, & Zephyrus recte in crepidinem ſpirabat: Poli altitudo erat 76. graduum & 20. ſcrupulorum. 19. Iulij.

XX. Iulij ſub inſula fiximus anchoras, longius enim progredi nequivimus glaciei cauſa. Propterea educto lembo, octo remigavimus ad terram, & profecti ſumus verſus unam Crucem apud quam quievimus aliquantulũ, ut porro ad alterũ progrederemur, in itinere obſervavimus duos urſos apud aliam crucem, & prorſus inermes eramus. Vrſi ſeſe ad crucem erexerunt, ut facilius nos conſpicerent, quia meliorem habent odoratum quam oculorum aciem, cumque nos eſſent odorati, ſurſum ſe erexerunt, & deinde ad nos adventarunt, unde non levem timorem concepimus, & denuo verſus noſtrum lembum regreſſi ſumus, interdum nos obvertentes ad obſervandum annos ſubſequerentur: & ad fugam nos componebamus niſi nauclerus nos detinuiſſet, exclamans, qui primus fugã meditabitur, eum harpagone, quem manu tenebat, confodiam, nam præſtat ſimul coniunctos manere, & facere periculum an noſtro clamore poterimus metum illis incutere: itaque ſenſim ad lembum regreſſi ſumus atque in hunc evaſimus, valde læti, quod id periculum effugiſſemus, & rem ut erat geſta, alijs referre liceret. 20. Iulij.

XXI. Iulij, dimenſa Solis altitudine, reperta eſt ſupra Horizontem 35. gradibus 15. minutis: declinatio erat 21. grad. his detractis ab altitudine inventa reſtant 14. gradus, qui à 90. detracti, conſtituunt Poli elevationem 76. graduum 15. ſcrupulorum. Compertum pyxidulæ nauticæ acum 26. gradibus integris aberrare. 21. Iulij.

Eodem die bini noſtri nautæ denuo verſus Crucem profecti ſunt, neque ab urſis ullum impedimentum invenerunt. Nos eos ſubſequuti ſumus cum armis, metuentes ab infortunio, cumque ad ſecundam crucem perveniſſemus, duorum urſorum adhuc veſtigia reperimus, ex quibus deprehendere licuit quam procul nos inſequuti fuiſſent, & obſervavimus eos circiter 100. pedes perveniſſe ab eo loco in quo ſubſtiteramus.

XXII. Iulij, qui lunæ dies fuit, adhuc Crucem iſtic ſtatuimus, in qua noſtra ſigna ſculpſimus, atque circa Crucẽ hæſimus uſque ad 4. Auguſti, & in terra noſtras interulas eluimus & reſiccavimus. 22. Iulij.

XXX. Sole circa Arction exiſtente, urſus prope navem acceſſit, ad lapidis iactũ videlicet, cui ſclopo exploſo pedẽ vulneravimus, ut claudicans profugeret. 30. Iulij.

XXXI. Iulij, Sole circa Cæciam verſante, nos numero ſeptem urſum mactavimus, cuius cadaver, pelle detracta in mare abiecimus. Meridie comperimus noſtro inſtrumento, acus nauticæ aberrationem eſſe 17. graduum. 31. Iulij.

AVGVSTVS 1596.

I. Auguſti denuo album urſum conſpeximus, qui illico fugit. 1. Auguſti.

IIII. Auguſti, ex glacie nos extricantes pervenimus ad alterum inſulæ latus, ubi hærentes, ſcapham lapidibus plenam in navem intulimus non ſine magna difficultate & labore. 4 Auguſti.

5. Augusti. v. Augusti, denuo vela dantes versus Glaciei angulum spirante Apeliote, tendebamus ad Euronotum & Boream, nec glaciem reperientes circa terram diu secundum illam obliquum cursum tenuimus.

6. Augusti. v i. Augusti superavimus Promontorium Nassovicum, & navigavimus versus Subsolanum & Hypereurum secundum terræ crepidinem.

7. Augusti. v i i. Augusti spirante Africo, vela fecimus secundum terræ crepidinem versus Notapeliotem & Meseurum, & modicam glaciem reperientes, ad Consolationis angulum sive Promontorium pervenimus, ad quod iam diu aspiraveramus. Sub vesperam spirante Apeliote & nebula exorta, navem ad glaciei fragmentum firmare necesse fuit, quod pæne 36. orgyias sub aqua mergebatur, & fere 16. orgyis supra aquã eminebat, hoc est, quod 52. orgyias crassum erat, nam fundo inhærebat ubi aqua 36. orgyis erat profunda.

8. Augusti. v i i i. Augusti mane flabat etiam Apeliotes & nebula persistebat.

9. Augusti. i x. Augusti nobis ad ingens illud glaciei fragmentum adhærentibus suborta est nix densissima, & nebulosum erat cælum, & circa Solem in Austro existentem, obambulavimus supra tabulatum, ut excubias agere soliti eramus: nauclerus vero obambulans, animal respirans exaudijt, atque foris aspiciens, magnum ursum apud navem iacentem observavit, alta autem voce exclamante Vrsus, Vrsus, omnes supra tabulatum conscendimus, & conspeximus ursum apud nostram cymbam, conantem anterioribus pedibus in illam ingredi, sed excitatus à nobis magno clamore exterritus longe enatavit, sed subito regressus latuit post ingens glaciei fragmentum cui inhærebamus, atque illud conscendens, imperterritus ad nos accedebat, ut in navem transcenderet, sed scaphæ velum supra lignum quo anchora attollitur prætenderamus, post quod latebamus cum quatuor sclopis, à quibus vulneratus, profugit, sed propter densam nivem cadentem, quo pervenisset observare nequivimus, sed consedisse in tumulo quodam suspicabamur, qui plurimi supra glaciei fragmenta sparsi erant.

10. Augusti. x. Augusti, qui fuit dies Saturni, cæpit glacies abunde fluitare, atque tum demum deprehendimus, ingens illud glaciei fragmentum, cui adhærebamus fundo inhærere, quia alia glacies præterfluebat, quam ob causam non mediocriter metuimus, ne glacie comprimeremur, propterea magnum laborem & diligentiam adhibuimus, ut inde exiremus, versabamur enim in magno periculo: atque cum iam velificationi operam daremus, delata est navis in glaciem tanto impetu, ut omnia vicina crepitarent, & ad aliud glaciei magnum fragmentum pervenimus ad quod iniecta anchora adhæsimus usque ad vesperam. Ipso vespere sumpta iam cæna, in primo quadrante, cæpit magnum illud fragmentum inopinanter confringi tam horrendo strepitu, ut vix dici queat nam ingenti crepatione in plures quam quadringentas partes dissilijt. Proca illi adhærentes, laxato fune, ita evasimus. Sub aqua id fragmentum ubi fundo inhærebat 10. orgyias densum erat, & supra aquam duas orgyias eminebat, quod crepando horrendum strepitum edidit, cùm sub aqua, tum supra aquam, & fragmenta hac illac dispersa sunt. Eo magno periculo liberati, denuo delati sumus ad aliud ingens glaciei fragmentum sex orgyis sub aqua mersum, ad cuius utrumque latus funes firmavimus. Deinde aliud glaciei magnũ fragmentũ aliquantulum à nobis in mari dissitũ vidimus, sursum sublatum instar pyramidis turris, ad quod delati, demissa bolide comperimus 20. orgyis in fundo hærere, & pæne 12. supra aquam eminere.

11. Augusti. x i. Augusti Dominico die remis petijmus aliud glaciei fragmentum, quod comperimus demissa bolide, 18. orgyis profunde in fundo hærere, & 10. orgyis supra aquam eminere.

12. Augusti. 12. Augusti vela fecimus propius terram, ut à glacie sublevaremur, quia quandoquidem glaciei fragmẽta adeo profunde fluitabant, proximi terræ ad 4. aut 5. Orgyias profunditatis, ab illis tutiores eramus, atque istic magnus aquarum è montibus defluxus, & iterum navem firmavimus ad glaciei fragmẽtum, & eum angulum glaciei minorem angulum appellavimus.

13. Augusti. x i i i. Augusti mane, ab Orientali angulo terræ venit ursus proxime navem, quem nostrorum nautarũ unus sclopo petijt, illique pedem confregit, nihilominis tribus pedibus subsiliens in montem conscendit: sed nos eum assequuti porrò mactavimus, & pellem detractum in navem attulimus. Inde lento spirante vento, vela fecimus, sed cursum obliquando, tandem maior ventus spirare cæpit ab Austro, & Euronoto.

15. Augusti. x v. Augusti pervenientes ad insulam *Orangia*, apud magnum glaciei fragmentum, a glacie fuimus cincti, ita ut in magnum periculum veniremus navis amittendæ: magno tamen cum labore ad ipsam insulam pervenimus, & cum ab Apeliote ventus spiraret, navem alio traducere cogebamur. Ea re occupati, cum alta voce clamaremus, excitatus fuit ursus qui istic stertebat, & ad nos venit versus navem, sic ut ab opere desistere cogeremur, & adversus ursum nos defendere, ille globo traiectus fugit versus alterum Insulæ latus, & enatans in glaciei fragmentum cõscendit & istic hæsit. Cum verò scapha remis impulsa illum persequentes nos animadvertisset, denuo in aquam insiliens versus terram natare cæpit, sed illi viam præcludentes, securi caput eius ferijmus: ipse vero quoties securim vibrabamus ad illum feriendum toties mergebatur, sic ut magna difficultate illum occidere potuerimus. Ei deinde in terram pertracto pellem ademimus quam in navem intulimus, deinde navem ad ingẽs glaciei fragmentum perducentes, eam ad illam firmavimus.

16. Augusti. x v i. Augusti, nostrum 10. cum Liburnica remigavimus versus *Novæ Zemblæ* continentem, & scapham supra glaciem protraximus, deinde in altum montem conscendentes, observavimus situm continentis nobis oppositũ, quem deprehendimus valde ad Notapeliotem & Euronotum situm esse, deinde valde ad Austrum vergere, ex

quo

quo magnam diffidentiam concepimus terram adeo ad Auſtrum porrectam eſſe: ſed conſpecta aperta aqua ad Notapeliotem & Vulturnum, denuo magna lætitia perfuſi ſumus, arbitrati navigationem iam peractam eſſe, nec rationem inire poteramus qua ſatis cito ad navem rediremus, vt hæc *Willelmo Bernardi f.* nunciaremus.

Delineatio ut apud Inſulam Orangiæ glacie concluſi, magno in periculo verſati ſumus, ex quo navem vix liberaverimus; præterea ut metuendus urſus pone glaciei fragmentum iacens, noſtris clamoribus excitatus adverſum nos venit, contra quem (relicto opere) confugendum nobis fuit, & tandem magna cum difficultate ſuperatus & mactatus.



XVIII. Auguſti, omnia apparavimus ad velificationem faciendam, ſed irrito conatu, & labore, & pæne anchoram & binos novos craſſos rudentes amiſiſſemus, & poſt multū irritum laborem ſumptum, recurrendum nobis fuit in eum locum ex quo ſolveramus: nam ingens æſtus refluebat & glacies celeriter fluebat ſupra rudentes ſecundum navem, ſic ut æſtimaremus omnia nos amiſſuros quæ extra navem erant, erant enim pæne ducentæ orgyiæ extra navem: ſed Deus omnia convertit in bonum, ut tandem perveniremus unde ſolveramus. 18. Auguſti.

XIX. Auguſti ſatis placido aëre, & Notozephyro ſpirante, profluenteque adhuc glacie, vela fecimus ſatis propitio vento, & venimus apud angulum Deſiderij, unde non mediocrem ſpem denuo concepimus. Superato angulo, progreſſi ſumus verſus Notapeliotem in mare, & curſum direximus ad Arctozephyrum, donec denuo ad terram veniremus, quæ extenditur à Deſiderij angulo, uſque ad Capitis angulum verſus Meſolybonotum per 6. milliaria. à Promontorij angulo uſque ad Vliſſingenſe Promontorium porrecta eſt terra verſus Meſolybonotū per tria milliaria. A Vliſſingenſi Promontorio porrigit ſe in mare verſus Eurum, & denuo à Vliſſingenſi Promonterio uſque ad angulum Inſulæ potrecta eſt ad Hyperlybonotum & Notozephyrum per tria milliaria, & ab Inſulæ angulo, uſque ad Glaciei portus angulum, verſus Africum per 4 milliaria. A Glaciei portus autem angulo, uſque ad Aeſtus Sinum & humilem terram verſus Hyperlybem & Meſoboream per 7. milliaria, deinde verſus Subſolanum & Zephyrum terra eſt porrecta. 19. Auguſti.

XXI. Diu navigavimus in Glaciei Portu, & iſtic pernoctavimus, mane æſtu vehementer verſus Subſolanum fluente, denuo egreſſi, rurſus verſus inſulæ angulum navigavimus: ſed cūm nebuloſum cælum eſſet, ad Glaciei fragmentum delati ſumus, ad quod noſtram navem firmavimus, quia Notozephyrus & Auſtroafricus vehementer flare incipiebant. 21. Auguſti.

Mira glaciei forma quã terram esse arbitrabamur. Conscendentes in glaciem, eam satis admirari nequivimus, adeo peregrina nobis videbatur, superficies terra erat oppleta, & in ea pæne 40. ova reperimus. Dissimilis erat alteri glaciei, & cærulei coloris, ut purum cælũ, sic ut inter nostros diversæ essent opiniones, alijs glaciem esse asseverantibus, alijs terram frigore concretam: nam valde eminebat supra aquam, & pæne ad 18. orgyias fundo inhærebat, decemque orgyis supra aquam eminebat: istic hæsimus durante tempestate & spirante Mesolybe.

23. Augusti. XXIII. Augusti solvimus à glacie versus Notapeliotem in mare progredientes: sed statim in glaciem denuo incidimus, & regressi sumus versus glaciei Portum.

24. Augusti. Postridie impetuose flante Circio, & glacie vehementer influente, valde anxij fuimus, & vento validius insurgente, glacies magis ac magis influebat, sic ut fibula clavi, & clavi partes attollerentur, atque scapha inter navem & glaciem in frusta compressa est, nec aliud opinabamur, quin navis etiam confringeretur.

25. Augusti. XXV. Augusti, aër cæpit mitescere, multumque laboris insumsimus in propulsanda glacie quæ nos cingebat, sed irritus fuit omnis noster labor. Sole autem circa Notozephyrum existente, cæpit glacies cum æstu diffluere, & cogitabamus ad Austrum tendere ut *Novam Zemblam* circumeuntes versus Occidentem ad *Weygatz* vela faceremus: sed cum superata *Nova Zembla*, nullibi aperturam inveniremus, animum despondebamus nos transituros, & eramus eius opinionis, ut domum regrederemur. Ceterum venientes ad Aestus Sinum, propter glaciem regredi oportuit, quæ istic firmiter inhærebat, & illa ipsa nocte gelavit, adeo ut vix penetrare possemus, adeo leniter spirabat ventus à Septentrione.

Delineatio qua ratione apud Glaciei portum, glacie ita circumcincti fuimus, ut nusquam progredi liceret, & irritus fuerit omnis labor quem sumpsimus ad propellendam a nobis glaciem, ad iter aperiendum, utque (quando glacies defluere cæpit) pæne tres viros amisissemus, nisi sua agilitate & saltu (fluitante glacie secundum navem) partem cui majora vela sunt adfixa, & funes à latere navis apprehendissent, atque ita in navem pervenissent, quod spectatu formidabile fuit.



26. Augusti. XXVI. Augusti cæpit ventus utcumq; spirare, propterea cogitabamus regredi versus Desiderij angulũ, & inde domũ, quandoquidẽ per *Weygatz* penetrare nequibamus, sed cum apud glaciei portum pervenissemus, cæpit glacies adeo fluitare, ut ab ea cingeremur, tametsi magnopere laboraremus ut penetraremus, sed omnis labor irritus fuit, & pæne tres viros in glacie stantes ut aperturã molirẽtur, amisissemus, si glacies suum cursum tenuisset, sed ut

retrorsum

retrorsum ferebamur, & simul glacies in qua tres viri erant regrederetur, ipsi vero agiles manus haberent, apud navem prætereuntes, apprehenderunt, unus funes quibus affixum est maius velū, alter, funes trunco inhærentes, tertius alium funem de puppi pendentem, & ita fortunatè, tali agilitate & saltu in navem veherunt, unde magnas gratias Deo egerunt; nam maior erat apparentia ipsos cū glacie deferendos fore. Sed Dei auxilio, & agilitate manuum ex eo periculo evaserunt, quod spectaculum videntibus fuit formidabile, tametsi bene cederet, nam nisi manibus apprehendissent quæ dicta sunt, haud dubie perijssent.

Eodem die sub vesperam pervenimus ad Occidentale latus Portus glaciei, ubi totam hiemem frigidam in magna penuria, miseria, & tedio hærendum nobis fuit: ventus autem tum spirabat Cæcias.

XXVII. Augusti fluitans glacies navem prorsus cinxit, cumque commoda esset aura, profecti sumus in continentem, & aliquantulum progressis, satis vehemens Notapeliotes spirare cæpit, qui glaciem tanto impetu propulit in nostræ navis proram, ut eam pæne quatuor pedum altitudine sublevaret, & puppis veluti in imo sedere videretur, adeo ut de nave actum jam videretur. Quapropter qui in navi erant, illico scapha exposita ad vitam cōservandam, vexillo vento exposito nobis signum dederunt, ut ad navem reverteremur. Nos vexillum vento agitatum cōspicientes, & navem ita sublevatam, quanta potuimus celeritate ad navem contendimus, arbitrati navē confractam esse: eo tamen pervenientes omnia in commodiore statu reperimus, quam speraveramus. 27. Augusti

XXVIII. Augusti, cedente aliquantulum glacie: cæpit navis denuo in rectum situm restitui: sed ante quam restitueretur *Willelmus Bernardi f.* & Gubernatoris vicarius concesserant sub proram, ad observandum ut navis se haberet, & quantum sublevata esset; cumque in eo essent occupati genibus & cubitis innitētes ad dimetiendum, sublata est navis tanto cum fragore, ut de sua vita actum æstimarent, inscij quo se subducerent. 28. Augusti

XXIX. Augusti, in commodum statum reducta nave, magnum apparatum fecimus ferreorum vectium & aliorum instrumentorum, ad confringenda glaciei fragmenta quæ supra in vicem propulsa fuerant, sed irrito omni labore, & abiecta spe, ut Deo omnia commendāda essent, & ab ibso auxilium exspectandum: nam glacies non ita profluebat, ut commodo nobis esse posset. 29. Augusti

Delineatio ut post longas & difficiles ambages glacie conclusi fuimus, adeo vehementer in navem propulsa, ut quæcunque navi adhærebant, & illi vicina disrumpi viderentur, sed inopinanter illâ exurgente Willelmus B.F. & eius vicarius qui ante proram in glacie procumbentes, ut metirentur quam alte sublata fuisset, non mediocri in periculo versati sunt: quia prora in sublime prorsus elata erat, & puppis fere ad fundum pertingere videbatur. Interea temporis exposita scaphâ, lintrem aliquot dolijs pane plenis onustum in terram pertrahunt.



30. Augusti. XXX. Augusti denuo cæperunt glaciei fragmenta supra invicem propelli adversus navem, flante vehementer Mesolybonoto, & densissima cadente nive, quo factũ est ut navis prorsus detineretur & comprimeretur, & omnia circa illam crepare inciperent, atque ipsa navis in centum partes confringi, quod auditu & conspectu formidabile erat, & etiam comæ arrigerentur tam horrendo spectaculo. In tali periculo fuit navis postea (cum glaciei fragmẽta, quæ illam adeo utrinque comprimebant, sub ipsam propellerentur) in sublime pulsa, adeo ut instrumento ferreo, sublata videretur.

31. Augusti. XXXI. Augusti, denuo glacie tãto impetu profluente, prora nostræ navis quatuor aut quinque pedes in altum fuit sublevata, & puppis in glaciei fissura hærebat, qua re gubernaculum fore liberum à glacie profluente arbitrabamur: sed tanto impetu profluebat, ut & gubernaculum & fibula qua sustinebatur, confringerẽtur: Et si puppis, æquè atque prora glaciei profluenti objecta fuisset, tota prora in glaciem fuisset sublata, aut forsitan prorsus demersa, quod valde metuebamus: & scaphã cum lintre prius in glacie exposueramus, ut nobis in periculo consuleremus. Sed circiter quatuor horas post, glacies sponte refluxit, qua re non mediocri lætitia perfusi fuimus, non secus ac si à morte liberati fuissemus, quia nauis denuo libere fluebat. Deinde concinnato rursus gubernaculo & eius fibula, id dependimus extra uncum, ut, si denuo contingeret ita sublevari, liberum esset.

SEPTEMBER 1596.

1. Septemb. I. Septembris qui domino sacer fuit, cum precibus dicendis occupati essemus cæpit glacies denuo propellere, ita ut tota navis ferme duos pedes in altum sublevaretur, firma tamen adhuc permanens. A meridie glacie adhuc profluente & altera in alteram conscendente, apparatum fecimus ad schapham & lintrem, supra glaciem in terram pertrahendum, spirante Notapeliote.

2. Septemb. II. Septembris, Arctapeliote densam nivem spargente, cæpit navis denuo propelli à glacie, & valde crepare, ita ut cõsultum æstimaremus tali tempestate lintrem cum scapha in terram moliri cum tredecim dolijs pane plenis, & binis vini vasculis, ad nos in ægestate alendum.

3. Septemb. III. Septembris ventus æque validus flabat, qui erat Boreas, sed non adeo densam nivem spargebat: & denuo recedentes à glacie quæ nos ita comprimebat, adeo ut lignum proræ propulsum fuerit, sed asseres quibus navis munita erat, detinuerunt illud lignum, ita ut ab illis dependeret, & mali pars etiam confracta fuerit cum recenti rudente quo ad glaciem alligati eramus, per ingentem glaciei compressionem, nihilominus denuo firmus hæsit, concretus in glacie: quia navis adhuc firma manebat, quod admirandum erat, quandoquidem glacies adeo valide profluebat, sic ut glaciei tumuli profluerent non minores quam Salis tumuli in Hispania conspiciuntur, atque id quidem ad sclopi iactum à nave, quam ob rem magno metu afficiebamur.

4. Septẽb. IIII. Septembris, mitescente vento & Sole denuo splendente, frigida tamen existente aura, & spirante Arctapeliote, istic nihilominus hærendum nobis fuit.

5. Septemb. V. Cum Sol egregie splenderet, & tranquillitas esset, à sumpta cæna, glacies denuo nos obsessum venit, ita ut valde comprimeremur, & navis inciperet prorsus assurgere, & valde pati, sed Dei beneficio firma adhuc permansit, nam omnino metuebamus, ut navis nobis periret, adeo in magno periculo versabatur. In tali difficultate consultum iudicavimus, ut vetustum nostrum dolonem, pulverem tormentarium, plumbũ, sclopos & duplices sclopos, aliaque arma in terram exportaremus, ad tentorium circa nostrum lintrem, quem in terram pertraxeramus, erigendum. Adsumsimus etiam panem & vinum, & fabrilia instrumenta ad reparandam nostram scapham, ut nobis in necessitate usui esse posset.

6. Septemb. VI. Septembris commodus etiam satis fuit aër & tranquillus, & cum Sole splendente Zephyrus flabat, ita ut aliquantulum reficeremur, sperantes glaciem dissipatum iri, & nos inde discessuros.

7. Septẽb. VII. Septembris licet commodus satis esset aër, nullam tamen aquæ aperturam observabamus, sed firmiter in glacie constricti manebamus, ita ut nulla aqua circa navem hauriri posset.

Eodem die quinque ex nostris in terram profecti sunt, bini tamen reversi, tribus ulterius progredientibus circiter bina milliaria, qui flumen aquæ dulcis repererunt, apud quod etiam ligni copiam, flumine eo delatum. Observarunt etiam Rangiferorum & Alcium vestigia, ut ipsi existimabant, nam fissa sive bifida erant vestigia, alia alijs majora, ex quo coniecturam faciebant.

8. Septẽb. VIII. Septembris Cæcias vehementer flabat, nobis plane adversus & incommodus ad glaciem profligandam, sic ut magis ac magis a glacie obsideremur, quod nobis valde molestum erat.

9. Septẽb. IX. Rursus spiravit Arctapeliotes tenuem nivem aspergens, quo factum ut nostra navis prorsus à glacie constringeretur: nam ventus vehementer glaciem in navem propellebat, ita ut tribus aut quatuor pedibus compressi essemus & lignum ad puppim interdum magis confringebatur, navis præterea anteriore parte paululum incipiebat dissolvi, sine tamen magno periculo.

Nocte advenerunt proxime navem bini ursi, sed tubarum clangore, & sclopororum emissorum sonitu, licet non attingerentur, quia tenebræ erant, territi, profugerunt.

10. Septẽb. X. Septembris licet idem ventus spiraret, non fuit tamen adeo vehemens, & paulo commodior fuit aura.

11. Septẽb. XI. Septembris tranquillitas fuit, & nos octo in terram profecti, armis bene instructi, ad observandum an vera essent

essent quæ tres illi retulerant, videlicet ligna apud flumen iacere. Nam quandoquidem tam diu plerisque vicibus vagati eramus, nunc in glaciem incurrentes, modo extra glaciem nos extricantes, & cursum commutantes, nunc vero animadvertentes, ex glacie non posse educi, sed in ea firmiter hærere, & Autumnum atque hiemem iam imminere, ipsa necessitas nos coegit dispicere qua ratione secundum temporis commoditatem nobis prospiceremus, ad hiemem istic traducendam, expectantes eventum quem nobis concedere vellet Deus. Statuimus itaque ad facilius nos adversus frigus & feras bestias muniendum, ædificium construere ad commorandum quam commode possemus, & reliqua Deo committere. Ad hæc paranda situm terræ ivimus observatum, ad commodum locum reperiendum, in quo ædificium illud construeremus, cum nobis deesset materia, quia in ea terra nullæ arbores aut alia eiusmodi ex quibus fabrica fieri posset, reperiebātur. Sed ut extrema necessitas nihil intentatū relinquit, & nostrum aliqui interius in regionem progressi erant ad locum idoneum inquirendum ad ædificij situm, & quæ fortuna sese illis offerret, sese obtulit inopinata commoditas, quod ad oram maritimam aliquot arbores cum suis radicibus invenimus, quemadmodum tres illi viri retulerant, quæ aliquando istuc delatæ fuissent, vel ex Tartaria, vel ex Moschovia, vel aliqua alia regione, quia ubi eramus nullæ nascuntur arbores. De ista commoditate (tanquam nobis Deus eam immisisset) valde fuimus læti, confidentes Deum ulterius suam gratiam nobis concessurum. Nam hæc ligna non modo ad fabricam nobis fuerunt utilia, sed etiam ad ignem struendum, quo tota illa hieme usi sumus, alioqui haud dubie, propter ingens frigus, omnes perituri.

XII. Septembris tranquillo etiam aëre, nostri in aliam partem profecti sunt, quærendorum lignorum gratia, vicinore aliquo loco, sed valde pauca repererunt. 12. Septēb.

XIII. Tranquillus etiam fuit aër sed valde nebulosus, ut nihil exsequi possemus, quia per nebulas valde periculosum fuisset in interiorem regionem penetrare, ob feros ursos, quos cōspicere nequiremus, ipsi verò nos odorarentur, nam sagaciorem habent odoratum, quàm perspicacem visum. 13. Septēb.

XIIII. Septembris serenus fuit dies, sed frigus valde intensum. ideo in regionem profecti, copiam ligni congessimus, ne à nive contegeretur, quod deinde conferremus in eum locum in quo ædes construere cogitabamus. 14. Septēb.

Trium Vrsorum ad navem accedentium delineatio, quorum unus pone glaciei fragmentum hæsit, reliqui duo proximè ad navem accesserunt, horum unus partem carnis è dolio rapiens exposita aeri, globo traiectus procubuit, alter ignorans quid ei accidisset, diu constitit illum odorās, tandem profugit. Deinde rediens adversus nostros, & in posteriores pedes se erigens, ut in nostros impetum faceret, traiectus fuit, nihilominus aufugit. Alterum in occisum in pedes constitutum, gelu exposuerunt.



15. Septeb. XV. Dominico die ipsa aurora, quodam excubias agente, conspecti sunt adventare tres ursi, quorum unus pone glaciei fragmentum procubuit, alij duo ad navem tendebant, eam ob causam nos comparavimus ad eos sclopo traijciendos. Forte supra glaciem erat vasculum cum carnibus aëri expositum quia iuxta navem nulla erat aqua, alter ursus vasculo caput imposuit ad partem carnis tollendam, sed sclopo exploso caput ipsi trajectum, ut mortuus concideret omni motu privatus. Istic nobis contigit mirum spectaculum: secundus enim ursus constitit sedens tacitus tanquam admirabundus, & interdum odorabatur occisum, cum autem conspiceret illum jacere mortuum, tandem abijt. Sed sumptis armis, ut securibus romanis & sclopis expectabamus an rediturus esset. Tandem adversus nos contendit, & in posteriores pedes se erigentem ut in nos impetum faceret, unus nostrûm per medium ventrem sclopo trajecit, ut in anteriores pedes concideret & cum magno clamore fugeret. Mactatū ursum aperuimus & exenteravimus, deinde supra quatuor pedes dispositum congelari sivimus, existimantes nos in Hollandiam delaturos, si navem liberare possemus. Vrso sic in pedes disposito, traham fabricare cœpimus, ad ligna convehenda ad locum in quo ædificium construere cogitabamus. Eodem tempore salsa maris aqua pæne ad duorum digitorum crassitudinem fuit congelata, nam frigus erat ingensatque Arctapeliotes flabat.

16. Septeb. XVI. Septembris Sol splendebat, sed sub vesperam exorta est nebula Arctapeliote spirante. Eo tempore primam profectionem instituimus ad ligna advehenda, & eo die quatuor trabes traha per glaciem & nivem ducta pæne per milliare unum adveximus, congelataque est ea nocte aqua ad duorum digitorum crassitudinem.

17. Septeb. XVII. Septembris nos tredecim ad ligna convehenda cum duabus trahis profecti sumus, nostrûm quinque ad singulas trahas trahendas deputati, & tres ad ligna in trahis continenda, quo facilius ducerentur. Plerumque binas vecturas singulis diebus facientes, & ligna cumulantes eo loco ubi ædificium construi debebat.

18. Septeb. XVIII. Septembris spirante Zephyro, & densa cadente nive, denuo ad consuetum laborem ligni transvehendi profecti sumus. A meridie Sol splendens fuit & aër tranquillus.

19. Septeb. XIX. Fuit etiam tranquillus aër & Sol splendens, & adveximus duas trahas lignorum per 6. millia passuum, idque bis in die.

20. Septeb. XX. Septembris, binas etiam vecturas fecimus, licet nebulosus esset aër, sed tranquillus.

21. Septeb. XXI. Nebulosus fuit aër, sed à meridie serenus, atque adhuc glacies in mari fluitabat, non tamen adeo frequens magnoque impetu ut antea, sed valde frigida erat aura, adeo ut nostrum promptuarium in inferiorem navis partem meditullio inserre oporteret, quia superiore parte omnia gelu adstringebantur.

22. Septeb. XXII. Septembris Sol resplenduit, & serenus aër fuit, sed admodum frigidus, Zephyro spirante.

23. Septeb. XXIII. Septembris binas vecturas lignorum ad ædificij fabricam in die adveximus nubilo tamen tranquilloque cælo, spirantibusque Subsolano & Cæcia. Eo die expiravit noster lignarius faber, vespere cum ad navem rediremus, *Purmerent* oriundus.

24. Septeb. XXIIII. Septembris illum sepelivimus sub arena & sparto marino in montis fissura, circa aquæ decursum, quia terram fodere nequibamus propter ingens gelu & frigus: eoq; die duas lignorū vecturas nostris trahis adduximus.

25. Septeb. XXV. Septembris nebulæ obortæ, spiraruntque Zephyrus, Africus, & Notozephyrus, mare etiam cœpit aperiri, & glacies diffluere, verum non longo tempore: nam cum diffluxisset ad jactum ferrei tormenti maioris, constitit denuo in fundo hærens ad tres orgyias, ubi autem nostra navis hærebat, glacies nō diffluebat, in media enim glacie erat constricta. Nā si fuissemus in aperto mari, vela fecissemus, tametsi navigandi tempus valde serotinū esset.

Eo die trabes nostri ædificij disposuimus, & procedebat fabrica: sed si nostra navis à glacie fuisset libera: fabrica relicta, navis posteriorem partem reparassemus, ut parati essemus, ad vela facienda, si aliqua ratione fieri potuisset, nam molestum erat, in istic hiemem transigere, quam non ignorabamus rigidam admodum futuram: sed nobis adempta omni spe, ex necessitate facienda fuit (ut vulgo dicitur) virtus, & cum patientia expectandus eventus quē Deo immittere nobis placeret.

26. Septeb. XXVI. Septembris, spirante Zephyro, mare fuit apertū, nihilominus nostra navis glacie adstricta manebat, quare magis tædio afficiebamur quam gaudio, sed cum Deo ita placeret, eius voluntati obsequendum fuit, cœpimusque ædificium interdum constipare. Pars nostrorum ligna ad urendum advehebat, altera pars in fabrica erat occupata. Nostrorum adhuc in vivis restabant 16. nam noster faber obierat, & reliquorum 16. superstitum, interdum aliqui morbo afficiebantur.

27. Septeb. XXVII. Arctapeliotes denuo vehemēs fuit, & intensissimum fuit gelu, adeo ut clavum in ore tenentes (quemadmodum fabris lignarijs ut plurimum moris est) labris inhæreret illum ex ore adimentes, & sanguinem eliceret. Eadem etiam die, advenit vetulus ursus cum catulo, & cum simul omnes proficisceremur versus ædificium (seiunctim enim prodire non audebamus) ad eum oppugnandum & sclopo traijciendum progrediebamur: sed profugit. Glacies rursus vehementer adfluere cœpit, diesque valde serenus erat, prorsus tamen frigidus, ut maxima cum difficultate operas peragere possemus, summa tamen necessitas nos ad eas præstandas cogebat.

28. Septeb. XXVIII. Septembris fuit serenus dies, commodus & tranquillus, spirante zephyro mareque apparebat apertum, nihilominus nostra navis firma in glacie manebat. Eo die advenit Vrsus ad navem: verum nobis conspectis profugit, nos vero in fabrica ædificij pergebamus.

Vt necessarium fuerit ædificium extruere, ad propulsandum frigus, & fera animalia, ad quam rem Deus nobis ligna ab altera maris ora in Novam Zemblam *delata procuravit, quæ deinde trabis contulimus in locum ad fabricandum ædificium destinatum, fere per bina milliaria petita bis in die, maximis laboribus & difficultatibus, idque pæne per 15. dies continuos: necessitas enim nos cogebat diligentiam summam adhibere ad extruendum: quia si unam aut alteram hebdomadam serius ædificare incepissemus, impossibile fuisset illud absolvere.*



xxix. Septembris mane ſpiravit Zephyrus: à meridie vero Subſolanus: tum apparuerunt tres urſi inter navem & ædificium, vetulus videlicet cum binis iuvenibus: nihilominus trahebamus neceſſaria verſus ædificium, cupientes urſos prævertere, veniebāt tamen illi nobis adverſi, nec illis volebamus cedere, ſed edito clamore, illos fugare nitebamur, ſed cum greſſum non mutare animadverteremus imo rectà in nos tendere, tum excitato à nobis atque ab ijs qui in ædium fabrica occupati erant clamore profugere cæperunt urſi, cuius rei nos non pænituit. 29. Septēb.

xxx. Septembris flauerunt Subſolanus & Vulturnus, denſamque nivem tota ea nocte ſparſerunt, totumque illum diem, ita ut noſtri ligna advehere nequirent, adeo denſa erat nix. Magnum iuxta ædificium ignem excitavimus, ad terram à gelu liberandam, & circa ædificium denſe conſtipandam, ut eà ratione frigus minus penetrare in ædes poſſet, ſed irritus fuit noſter labor: nam terra adeo rigida erat, & profundè congelata, ut diſſolvi gelu nequiret, nimiſque magnam ligni quantitatem inſumere oportuiſſet: eam ob rem ab inſtituto deſtitimus. 30. Septēb.

OCTOBER. 1596.

1. Octobris Arctapeliotes vehementer admodum flavit, & à meridie Aparctias cum tempeſtate & denſiſſima nive, adeo ut magna cum difficultate adverſo vento progredi, imò vix ſpirare liceret, adeo propellebatur nix in faciem, ut ad binarum aut 3. navium longitudinem vix conſpicere liceret. 1. Octobris.

11. Octobris ante meridiem Solis ſplendor fuit, à meridie vero rurſus tenebroſum cælum cum nive, tranquillo tamen aëre, ſpirante primum Aparctia, deinde Auſtro & ædificio erecto ſignaculum impoſuimus nivem congelatam, frondis loco. 2. Octobris

111. Octobris tranquillus fuit aër & ſerenus, ſed adeo frigidus, vt vix ferri poſſet: à meridie vehementer ſpiravit Zephyrus talem rigorem adferens ut ſi perſeveraſſet, operas relinquere neceſſe fuiſſet. 3. Octobris.

1111. Octobris Zephyrus ſpiravit, & à meridie Aparctias vehemens admodum denſam ſpargens nivem, qui 4. Octob.

denuo

denuo noſtras operas impedijt. Eo tempore protulimus noſtram anchoram cum rudente ſupra glaciem,ut firmius hæreremus, quandoquidem duntaxat teli iactu ab aqua glacie libera abeſſemus,adeo defluxerat glacies.

5.Octobris. v.Octobris Arctozephyro vehementer flante,diſpulſa fuit in mari glacies:quantum proſpicere poteramus,nō minus tamen firmiter conſtricta manebat noſtra navis quàm prius , atque pænè binos aut ternos pedes compreſſa ſupra glaciem,nec aliud animadvertere poteramus, quam eam ad fundum uſque glacie cōſtrictam eſſe, qui fuit 4.orgyiarum cum ſemiſſe.

Eodem die confregimus anteriorem partem in qua malus navis, & ijs aſſeribus conteximus ædificium,in medio paullo ſublimius ad ſtillicidia promovenda, & magna ex parte conſtipavimus. nec remittebat ſeſe frigus.

6.Octobris vi.Octobris adhuc vehementer flavit Zephyrus &Notozephyrus:ſed circa veſperā Corus denſam nivem propellens,adeo ut vix caput è janua quiſpiam proferre auderet, propter ingens frigus.

7. Octob. vii.Satis commoda fuit aura, valde tamen frigida,diligenterque ædificium conſtipavimus,atque poſteriorem partem in qua malus diſſolvimus ad ædificium exteriore parte melius conſtipandum. ventus eo die totum orbem circuivit.

8.Octobris viii.Octobris præcedente nocte,totoque illo die adeo vehemēs fuit ventus cum nivis procella,ut ſi quis prodijſſet,ſuffocandus videretur,imò nemo potuiſſet(etiam vitæ periculo imminente) ad navis longitudinem progredi:nam impoſſibile erat vel extra navem vel extra domum,etiam momento conſiſtere.

9. Octobr. ix.Octobris Aparctias adhuc flabat & nivem etiam denſam adferebat,perinde atque præcedente die,& cum à terra ventus flaret, totum diem in navi hærere oportuit,ob ingens gelu.

10. Octob. x.Mane paulo mitior fuit aura & tranquilla,ſpirante Notozephyro & Auſtroafrico,aqua autē intumuerat pæne binos pedes altius ſolito,quod exiſtimavimus factum ob vehementem Aparctiæ flatum.

Eodem die, denuo aër miteſcere cæpit, ſic ut ex navi prodire auderemus:contigit autem ut ex noſtris quopiam è navi egreſſo urſus inopinanter illi occurreret, & fere in eum impingeret ante quam animadverteret:itaque illico verſus navem celeriter profugientem urſus inſequutus eſt: ſed cum perveniſſet ad eum locum ubi urſum traiectum in pedes erectum conſtitueramus,& gelu rigere ſiveramus, deinde denſa nive cadente ſepultum,ſic tamen ut unus pes extra nivem adhuc emineret,conſtitit,qua mora interea noſter homo in navem pervenit, alta voce & territus exclamans,Vrſus, Vrſus. Ejus clamore excitati ſupra navis tabulatum venimus,ad globo petendū Vrſum,ſed oculi noſtri perſtricti erant,ob continuum fumum quem(in navi concluſi propter magnam aëris intemperiem)pertuleramus,quiq; pro ulla quantūvis magna mercede ferendus nō fuiſſet, niſi ingens gelu & denſiſſimæ nivis Procella nos coegiſſet,ſi vitā cōſervare volebamus,alioqui ſupra navis tabulatū hærētes,haud dubiè frigore fuiſſemus extincti. Vrſus autem iſtic diu non etiam hæſit, ſed ſubito abijt, Arctapeliotes autem ſpirabat.

Eodem etiam die ſub veſperam commoda ſatis aura,à navi egreſſi ad ædificium nos contulimus, maximam panis partem nobiſcum ferentes.

11. Octob. xi.Octobris tranquillo aëre & ob ſpirantem leniter Zephyrum calidiuſculum, vinum & reliquam annonam in terra expoſuimus.Sed dum occupati eſſemus in vino ex navi ſublevando, Vrſus qui poſt glaciei fragmentum latebat,(à ſomno forte noſtro clamore excitatus) ad navem advenit,ipſum quidem iacentem conſpexeramus,ſed glaciei fragmentum eſſe arbitrabamur. Illum ad nos adventantem globo è ſclopo exploſo petijmus: ſed illo profugiente,in noſtro opere perreximus.

12.Octobr. xii.Octobris Aparctia flante,eoque interdum verſus Zephyrum tendente, dimidia pars noſtrorum in ædificium profecta eſt, iſticque illam noctem primum traduxit,ſed magnum frigus perpeſſa eſt,quia cubilia nondum confecta erant nec ſtragulis abundabant,tum etiam quia ignem ſtruere nequibant (caminǫ nondum exſtructo) propter moleſtiſſimum fumum.

13. Octob. xiii.Octobris, Aparctia & Arctozephyro denuo vehementer flare incipientibus,tres ad navem profecti ſumus,& traham cereviſiæ vaſe oneravimus,quam cum ad ædificium trahere cuperemus,inopinanter ſubortus eſt adeo vehemens ventus,cum tempeſtate & gelu,ut foris permanere nequeuntes, denuo ad navem conferre nos oportuerit,& cereviſiam foris ſupra traham relinquere. Ingens frigus in navi perpeſſi,penuria ſtragulorum.

14. Octob. xiiii.Octobris à navi egreſſi invenimus vas cereviſiæ(quæ dantiſcana erat)foris in traha relictæ, diſruptum in fundo fuiſſe frigoris rigore, ipſam autem cereviſiam quæ effluxerat congelatam eſſe atque ad vaſis fundum adeo firmiter inhærere,quaſi viſco adglutinata fuiſſet. Pertraximus autem vas illud cereviſiæ ad ædificium,& convertimus erectum,bibere autem volentes,cerviſiam primum diſſolvere oportuit,nam vix in vaſe nōn congelata permanſerat,atque in eo humore tota vis cereviſiæ conſiſtebat,ita ut propter validitatem bibi nequiret , quæ vero gelu conſtricta fuerat,tam inſipida erat quàm aqua, eam tamen diſſolutam cum altera nō congelata bibebamus, ſed valde imbecillis erat & inſipida.

15.Octobr. xv.Octobris ſpiravit Aparctias, Subſolanus,atque etiam Eurus,tranquilluſque erat aër. Eo die omnibus obſtaculis amotis,nivem palis eiecimus ad fores ædificij ponendas.

16. Octob. xvi.Octobris ſpirante Notapeliote & Auſtro,tranquilloque cælo, Vrſus præcedente nocte navem ingreſſus erat, ſed ſub lucem denuo egreſſus, cum homines animadvertiſſet. Illo tempore, diſſolvimus conclave naucleri ad eius aſſeres uſurpandos in veſtibulo exſtruendo,in quo occupati eramus.

Vt adi-

Vt ædificium ſtruere cœpimus, & ligna eo pertraxerimus in cumulum ea reponentes, deinde ædificio extructo, glaciei fragmentum impoſuerimus frondentis rami loco: ad ſitum autem extructum fuit Septentrionalium conſuetudine, trabibus ſupra invicem oblique collocatis, & ſpatijs intermedijs denſe conſtipatis, ad nivem & gelu propulſandum, ſuperna parte ædificij magna ex parte quadrata, & aſſeribus tecta, cum camino & veſtibulo.



XVII. Tranquillo aëre, ſpiranteque Auſtro & Notapeliote valde frigido, eum diem etiam in extruendo veſtibulo inſumpſimus. 17. Octobr.

XVIII. Octobris ſpirante Apeliote & Notapeliote vehementer, ex lintre quem in terram pertraxeramus, panē extulimus, tum etiam vinum quod gelu non admodum conſtrictū erat, licet circiter ſex hebdomadibus iſtic permanſiſſet, aſpero gelu ſubinde recurrente. 18. Octob.

Eodem die denuo Vrſum conſpeximus, mareque prorſus glacie conſtrictum fuit, ut nulla aperta aqua conſpici poſſet.

XIX. Octobris, Arctapeliote flante, cum duo viri duntaxat in navi eſſent, adverſiens urſus in navim vi perrumpere tentabat, tametſi bini illi viri lignis ad ſtruendum ignem paratis cęderent, nihilominus ferociter in eos invehebatur, qua re territi, ſinguli ad fugam ſeſe compararunt binique in inferiorem navem deſilierunt, puer cōnſcendit in dolonem, ad vitam liberandam nihil non tentantes: interea quibuſdam ex noſtris nautis ex ædibus ad navim euntibus, Vrſus verſus eos audacter ſe convertit, ſed ab eis duplici ſclopo petitus profugit. 19. Octob.

XX. Octobris tranquillo aëre & ſplendente Sole, iterum aquæ aperturam conſpeximus in mari. Eo tempore in navem veneramus, ad reliquam cerevifiam auferendam, cuius aliquot vaſa gelu cōfracta reperimus, imò circulos ferreos vaſa cerevifiæ Gedanenſis cingentes gelu etiam confractos. 20. Octob.

XXI. Octobris tranquillo aëre & Sole ſplendente, maximam partem noſtræ annonæ in ædes contuleramus. 21. Octob.

XXII. Octobris, Subſolanus vehementer flavit, adeoque denſa nix cecidit, ut ne præ foribus quidem conſiſtere liceret. 22. Octob.

XXIII. Octobris tranquillo aëre & Arctapeliote ſpirante, profecti ſumus ad navem, ut videremus an noſtri qui adhuc in navi erant ad ædes ſeſe recipere non vellent, ſed metuentes denuò vehementem ventum, non auſi ſunt cum ægro itineri ſeſe committere, & eo die iſtic adhuc conſtiterunt, nam valde tenellus erat & debilis. 23. Octob.

XXIIII. Octobris reliqui, videlicet octo numero in ædes pervenerunt traha ægrum vehentes. Perduximus etiā 24. Octob.

magno cum labore & difficultate nostræ navis scapham ad ædes, & eam obvertimus fundo supra elato, ut eâ, si tempus ferret, & Deus nobis gratiam faceret præterita hieme istinc discedendi, uti possemus. Deinde conspicientes navem perinde firmiter in glacie permanentem, nihilque minus expectandum quàm mare apertum iri, denuo in navem anchoram contulimus, ne sub nive occultatam perderemus, si forte circa æstatem nobis usui esse posset: sperabamus enim Deum aliqua ratione circa æstatem in patriam nos reducturum.

Perseverante eo tempore, cum Sol (nobis maxime utilis & desideratissimus) nos deserere cæpit, summa diligentia, singulis diebus trahâ, quæ nobis erant tam victui quam potui necessaria, in ædes pertulimus, Aparctia flante.

Ut occupati traha necessarijs rebus ex navi desumptis onusta ad ædes moliendo, tres ursi inopinanter nobis occurrerunt, quibus conspectis valde territi, relictis vestibus, pars versus navem profugit, atque unus ex fugientium numero, in glaciei hiatum delapsus, magno in periculo versatus est, pars apud trabam remansit, binisque romanis securibus armati ad resistendum se compararunt: sed interea dum ursi alios fugientes insequuntur, qui in glaciei hiatum delapsus erat, liberatus fuit, & cum ijs qui apud trabam remanserant, in navem adhuc salvus pervenit: & licet ursi in navem conscendere niterentur, fustibus & romanarum securium punctione reiecti, & in fugam acti sunt.



25. Octob. XXV. Octobris allatum ivimus omnia armamenta ad lintrem & scapham necessaria, cumque in ultima vectura essemus occupati, funibus ad trahendum aptatis versus ædes, Nauclerus sese obvertens, tres ursos pone navem conspexit ad nos venientes, atque illico territus vociferari cæpit ad timorem illis incutiendum, nos autem ilico è funibus nos extricantes, ad resistendum nos comparauimus. Forte supra traham binæ erant romanæ secures, quarum una à Nauclero sumpta, ego alteram sumpsi ad resistendum pro viribus: sed reliqui quantum potuerunt versus nauem fugerunt, atque fugiendo illorum unus in glaciei hiatum cecidit, quod nobis conspectu horrendum fuit, putabamus enim ursum in ipsum impetu facto ruiturum & devoraturum. Sed Deus providit, ut ursus adversus eos qui in navem profugerant niteretur. Interea occasione sumpta nos cum eo qui in glaciei hiatum ceciderat ad navem profugiẽtes in eam perveniremus. Vrsi videntes nos sic esse elapsos, ferociter ad navem accesserunt, nos vero nulla arma habebamus præter duas prædictas secures, cumque satis non confideremus illis, ursos detinuimus iaciendo fustes & alia, quæ insequebantur non secus quàm canes proiectos lapides. Interea unum ex nostris inferius in promptuarium ablegavimus ad ignem excutiendum, & alterum ad sarissas sub tabulatis reconditas adferendas, sed nullus ignis excuti potuit, quo possemus sclopos explodere. Vt vero ursi nos audacter

dacter adoriebantur, unum illorum securè Romana proiecta in ore vulneravimus, is vulneratum se sentiens, sensim à nobis decessit, quod alij, qui minores erant, observantes, simul recesserunt: nos vero gratijs Deo actis quod ab eis in hunc modum liberati essemus, traha sine aliquo impedimento ad ædificium traducta, quæ nobis acciderant retulimus.

XXVI. Octobris flante Aparctia & Circio, commoda satis fuit aura videbamus quidem aquam apertam proximè crepidinem terræ, sed in mari adhuc glaciem iuxta navem profluentem. 26. Octob.

XXVII. Octobris Arctapeliote flante tanta fuit nivis procella, ut extra ædes operas agere non liceret. Eo die sclopo occiderunt nostri albam vulpem, cuius excoriatæ carnes tostas ederunt, & cuniculi saporem referentes compererunt. Eodem etiam die nostrū horologium concinnavimus, vt campana sonaret, adparauimus etiam lucernam quæ noctu lucem præberet, ad quam rem usurpauimus ursi pinguedinem liquefactam lampadi impositam. 27. Octob.

XXVIII. Octobris Arctapeliote flante nostri egressi ad ligna ferenda, sed tanta suborta est tempestas & nivis procella, vt reverti cogerentur. Circa vesperam mitescente aura tres è nostris profecti sunt ut urso, quem congelari siverant, dentes adimerent, sed prorsus nive contectum repererunt, atque subito rursus oborta est tanta nivis procella & tempestas, vt festinanter reverti in ædes cogerentur, ad quas cum difficultate pervenerunt, quia adeo densa cadebat nix, ut vix oculis prospicerent, quapropter parum abfuit quin à recta via aberrantes, tota nocte foris in summo frigore nox illis traducenda foret. 28. Octobr.

XXIX. Octobris flante Arctapeliote ivimus quæsitum spartum marinum arenæ permixtum in littore, ad conspergendum velum quod supra ædificium expanderamus, vt magis constiparetur tectum, & ædes calidiores fierent, quia asseres minus bene coniuncti erant, ab aëris inclementia id facere prohibiti. 29. Octob.

XXX. Octobris adhuc flante Arctapeliote, Sol proximè terram cursum suum peragebat paulo supra Horizontem. 30. Octob.

XXXI. Octobris, perseverante eodem vento cum niuis procella, ne caput quidem ex ædificio protrudere audebamus. 31. Octob.

NOVEMBER 1596.

I. Novembris adhuc flante Arctapeliote, conspeximus Lunam exoriri in Subsolano, cum tenebræ iam advenirent, atque Sol supra Horizontem adhuc esset, ut nostro adspectui sese præberet, tametsi eo die nobis non apparuerit, propter nebulosum aërem & densam nivem cadentem, ingensque frigus fuit, ut illo die nihil foris agere possemus. 1. Novemb.

II. Novembris Zephyrus ad Austrum vergens spiravit, vesperi autem Aparctias, & tranquillo aëre conspeximus Solem in Euronoto Orientem, & in Austroafrico cadentem. Eius plena rotunditas supra terram nō apparuit, sed illam veluti lambens supra Horizontem conspiciebatur: illo autem ipso die vulpes securis jactu fuit mactata, excoriata, tosta & manducata. Antea nulla vulpes fuerat observata, nisi nunc Sole à nobis discedente, atque Vrsi simul discesserunt. 2. Novemb.

III. Novembris Arctozephyro spirante tranquilloque aëre conspectus est Sol in Meseuronoto vergente ad Austrum exoriri, & in Mesolybonoto vergente ad Austrū occidere, atque supra Horizontem, superior Solis pars duntaxat apparebat, licet terra in qua consistebamus, cum Solis altitudinem metiebamur, perinde alta esset atque malus nostræ navis, atque tum erat Sol in 11. gradu 48. scrupulis Scorpij, eius declinatio erat 15. graduum 24. scrupulorum australi latere A Equinoctialis lineæ: 3. Novemb.

IIII. Novembris, tranquillo aëre, Sol nobis amplius non apparuit: quia supra Horizontem non amplius videbatur. Tum noster Cheirurgus labrū ex dolio vinario adparari curavit, ad balneo fovendos artus, singulis successive ingredientib. interdum, quod balneum magnopere conducere ad artus roborandos comperimus & ad valetudinem conservandam. Eodem die cepimus albam vulpem, vulpes enim interdum apparebant, frequentius tamē quam antea: nam quemadmodum ursi abscedebant cum Sole, nec redibant nisi exoriente Sole, sic e contra apparebant vulpes, dum ursi aberant. 4 Novemb.

V. Novembris, flante denuo Aparctia ad Zephyrū vergente, multam aquam in mari conspeximus, nihilo minus nostra navis glacie firmiter constricta manebat, atque cum Sol nos deseruisset, contrà Lunam conspiciebamus nec die, nec nocte Occidentem, cum esset in summa sua elevatione. 5. Novemb.

VI. Novembris, spirante Arctozephyro tranquilloque aëre, nostri traham lignis onustam ad urendum adduxerunt, sed quandoquidem Sol nos deseruerat, densæ erant tenebræ. 6. Novemb.

VII. Novembris, tranquillus aër fuit & Zephyrus flavit, tantæ autem erant tenebræ ut dies à nocte vix discerni posset, præsertim quia eo tempore nostrum horologium constiterat, quapropter diem discernere nequibamus, cum iam dies esset, nec nostri eo die ex suo cubili egressi erant nisi vesicæ exonerandæ gratia, eam ob causam ignorabant, an lux quam conspiciebant à die esset, an à Lunæ splendore: unde exortæ diversæ sententiæ, alijs à die lucem esse affirmantibus, alijs à Luna, probe tamen omnibus consideratis pæne meridies erat. 7. Novemb.

VIII. Novēbris, tranquillo cælo, & Austro Notozephyroq; spirantib. nostri denuo trahā lignis onustā ad urendum 8. Novemb.

dum adduxerant, simulque albam vulpem cepimus, & apertam aquam in mari vidimus. Eo die dispertitus est panis inter nos, singuli quatuor libras vncias x. singulis septimanis accipientes, ita ut singula vasa panis octiduo absumerentur, cum ante singulis 5. aut 6. diebus vix sufficerent: carnes autem & pisces dispertiri, nondum erat necesse: potus autem non sufficiebat, propterea nos conferre oportuit & etiam alijs dispertiri quia cerevisia nostra, maxima ex parte gelu corrupta erat, & evanida, atque etiam insipida, & bona pars etiam effluxerat.

9. Novembris ix. Novembris Arctapeliote flante ad Aparctiam vergente magnæ fuerunt tenebræ, ut vix lux appareret.

10. Noveb. x. Novembris tranquillo aëre & Arctozephyro spirante nostri ad navem profecti sunt, ad conspiciendum quo in statu res essent, & compererunt multam aquam in navi esse, ita ut supra saburram glacie esset constricta, quam ob rem antlia expromi non poterat.

11. Novebr. xi. Novembris Arctozephyro spirante satis commoda fuit aura. Eodem die ex funiculis rudentium instrumētum fecimus instar nete contextum ad capiendas vulpes, ita dispositum ut funiculo ab ædibus tracto, cum vulpes subtus venirent eas involveret, atque eo die unam cepimus.

12. Novebr. x i i. Novembris Apeliote flante turbidus fuit aër. Atque eo die cæptum etiam est vinum dispertiri, ut singuli in diem binos haustus acciperent, deinde continuo potanda nobis erat aqua, ex nive extra ædes petitā dissoluta.

13 Novebr. xiii. Novembris magna fuit aëris intemperies, ingensque nivis procella Apeliote flante.

14. Noveb. xiiii. Clarum serenumque fuit cælum, ut omnes stellæ conspici possent flante adhuc Apeliote.

15. Novebr. xv. Novembris obscurum fuit cælum, & nubibus tectum Arctapeliote flante.

16. Noveb. xvi. Novembris tranquilla & temperata fuit aura Subsolano spirante.

17. Novebr. xvii. Novembris obscurus fuit aër, & nubibus tectus, Subsolano adhuc flante.

18. Novebr. xviii. Novembris valde incommodus fuit aër. Notapeliote flante, & Nauclerus fascem crassioris panni lanei dissecuit, & singulis quantum necesse erat distribuit, ut commodius à frigore se tueri possent.

19. Noveb. xix. Novembris Apeliote flante incommodus aër fuit, & arca in qua linea tela conclusa erat, aperta, atque inter nautas distributa ad interulas conficiendas: tempus enim postulabat, ut omnes rationes inirentur, quibus corpori consuleretur.

20 Noveb. xx. Novembris commodo tranquilloque aëre & Apeliote spirante, interulas lavauimus, tantum autem erat frigus, ut illæ lotæ & contortæ ad madorem exprimēdum, adeo congelarentur, ut ad luculentum ignem expositæ eo quidem latere gelu dissolveretur, sed altero gelu constrictæ permanerent, ita ut citius dilacerandæ venirent quam explicandæ, propterea in ferventem aquam erant denuo injiciendæ ad dissolvendum gelu, adeo ingens frigus erat.

21. Novebr. xxi. Novembris commodus etiam fuit aër Arctapeliote flante. Tum decretum fuit ut singuli per vices ligna secarent, ad coquum eo labore levandum, qui alioqui satis occupatus erat in apparando bis singulis diebus cibo, & liquanda nive quam biberemus: immunes tamen ab eo labore fuerunt Nauclerus & Gubernator.

22. Novebr. xxii. Novembris flante Notapeliote, & sereno aëre, cum nobis adhuc essent 17. bubuli casei, in cōmuni mensa unum edimus, aliorum singuli unum pro sua partione acceperunt, ut vescerentur pro arbitrio.

23. Novebr. xxiii. Novembris commodo aëre & Notapeliote flante, cùm jam commoditas sese offerret, ut plures vulpes apparerent, quàm antea, ea usi sumus, propterea ex crassis asseribus decipulas fabricavimus, quibus lapides imponebamus, & palorū extremitatibus in ambitu profundè defixis cinximus, ne subtus cuniculos agere possent, istaque ratione interdum aliquas cepimus.

24. Novebr. xxiiii. Cum rigidus esset aër & flaret Arctapeliotes, denuo apparatum fecimus ad artus balneo fovendos, quia aliqui valetudine adversá utebantur, itaque nos quatuor balneum sumus ingressi, & egressis Cheirurgus nobis purgationem propinavit, quam valde utilem sensimus. Eoque die quatuor vulpes cepimus.

25 Novebr. xxv. Novembris sereno cælo & spirante Zephyro binas vulpes cepimus decipula quam præparaveramus.

26. Noveb. xxvi. Rigida fuit aura, & Notozephyro flante vehementer atque tempestate ingentique nivis Procella sævien te, in ædibus penitus fuimus nive sepulti, ita ut egredi nequiremus, & lotium reddere ventremque exonerare in ædibus necesse fuerit.

27 Novebr. xxvii. Serenus fuit dies Notozephyro spirante, itaque plures decipulas fecimus ad capiendas vulpes, quia opportunitate nos uti oportuit, nam nobis ad vescendum erant utiles, & cùm victu non abundaremus, Deus nobis illas immittere videbatur.

28. Noveb. xxviii. Novembris denuo rigida aura fuit cum magna tempestate ex Aparctia, & ingenti nivis procella, ita ut rursus penitus in ædibus concluderemur, & egredi nequiremus, quia omnes januæ nive erant obsessæ.

29. Noveb. xxix. Serenus fuit dies clarumque cælum, Aparctia flante itaque palis nivem eijcientes viam ad foras prodeundum aperuimus, egressi autem, omnes decipulas & laqueos nive sepultos reperimus, quos repurgatos, denuo composuimus ad capiendas vulpes, & eo die unam cepimus, quæ non modo nobis utilis fuit ad vescendum, sed etiam ex pellibus illius & prædictarum pileos confecimus caput adstringentes, ut ab aspero gelu præservaremur.

30. Noveb. xxx. Novembris Zephyro spirante serenus fuit aër, & cū ursæ minoris stellæ apparerent circa Notozephyrum (quod fuit secundum nostram conjecturam circiter meridiem) sex profecti sumus ad navem armis bene instructi ad videndum quo in statu omnia essent, venientes sub tabulato, vivam vulpem cepimus.

DECEMBER. 1596.

1. Decembris flante Notozephyro rigida fuit aura, cadente densæ nivis procella qua denuo in ædibus prorsus conclusi fuimus, eam ob causam tantus fumus fuit excitatus, ut cum difficultate ignem struere possemus, quapropter maxima ex parte in nostris cubilibus hæsimus, coquus tamen necessario cogebatur ignem struere ad cibum coquendum. 1. Decemb.

II. Decembris, perseverans rigidus aër nos adhuc domi detinuit, & vix apud ignem ob ingentem fumũ consistere poteramus, eam ob causam maxima ex parte adhuc in nostris cubilibus hæsimus, lapides calefaciẽtes, quos tradebamus alijs in suis nidis hærentibus ad calefaciendos pedes, frigus etim & fumus tolerari nequibant. 2. Decemb.

III. Decembris eodem rigido aëre perseverante, in nostris cubilibus hærentes fragorem horrendum glaciei in mari, quod pæne dimidio milliari à nobis aberat, exaudire potuimus, ita ut existimaremus magnos illos glaciei cumulos, quos tot orgyias densos æstate conspexeramus, supra invicem propelli. Atque cũ illis duobus aut tribus diebus ignem struere, ut ante, non possemus ob acerrimum fumum, gelu adeo asperum in ædes penetravit, ut cõtignationi & parietibus gelu crassitudine duorum digitorum inhæreret, imò etiam ipsis cubilibus in quibus iacebamus, fere tandundem. Per tres illos dies quibus occlusi fuimus in ædibus, eposuimus clepsidram duodecim horarum, quam vbi diffluxerat denuo convertebamus, magna diligentia id obsevantes, ne in temporis observatione erraremus. tam ingens enim erat rigor, ut horologiũ etiam gelu constringeretur, nec posset obverti, etiam si majus solito pondus appenderemus. 3. Decembr.

IIII. Decembris serenus fuit, & Aparctia spirante cæpimus per vices nivem qua ianuam obsederat eijcere: nã cum animadverteremus sæpius idem opus repetẽdum, eam ob causam statuimus alternatim & per vices illud peragere, nemine excepto, præter Nauclerum & Gubernatorem. 4. Decemb.

V. Decembris, serenus etiam amenusque fuit aër Apeliote flante. Propterea decipulas repurgavimus ad capiendas vulpes. 5. Decembr.

Ut lithanthraces incendimus propter ingens frigus, atque caminum & ianuam obstruximus ad calorem intra ædes conservandum, qua re pene dormientes vel in animi deliquio fuissemus extincti, quod alijs postea referre nequivissemus, ut tandem id deprehenderimus, & ad nos redierimus, atque domo egressi, decipulas purgaverimus ad capiendas vulpes.



 VI. De-

6.Decemb. VI. Decembris denuo rigidus aër, Apeliote flante, nobis molestiam præbuit, & frigus adeo ingens, ut pæne intolerabile esset: sic ut mutuo nos miserè aspiceremus, metuentes, si gelu ita continuando augeretur, ut frigore periremus quia tametsi luculentum ignem strueremus, calefieri tamen nequibamus, imo vinum Hispanicum generosius quod adeo calidum est, prorsus gelu constrictum fuit, ita ut ad ignem liquefieri oporteret à meridie ut singuli nostram porionem acciperemus, quæ alternis diebus nobis distribuebatur parua mensura circiter quartarij capace, qua tanto tēpore nos sustentare oportuit, deinde aqua, quæ tam rigido frigore non valde convenit, nec nive aut glacie erat refrigeranda, sed ex nive colliquanda.

7.Decemb. VII. Decembris perseverante rigido aëre, procellaque ex Arctapeliote exorta quæ maxime ingens frigus advexit, ignorabamus quid moliremur ad nos ab eo conservandos. Atque ut consilium inibamus, quid potissimum esset agendum, vnus è nostris dixit, ut lithanthraces quos e navi in ædes contuleramus, in extrema hac necessitate vsurparemus & ex ijs ignem strueremus, cum magnū præberēt & durabilem calorem. Vesperi itaque ex dictis carbonib. luculētum ignem struximus, qui quidem magnū calorem præbuit, sed ab infortunio nobis non cavebamus: nam quandoquidem calor ita nos reficiebat, cōsilium quærebamus, quo illum multo tempore retineremus. Propterea consultum censuimus, vt omnes ianuas & caminum obstrueremus ad gratum illum calorē intra ædes retinendum, & singuli in nostrum nidum seu cubile, concessimus cubitum, hilares ob receptum calorem, diuque sermones inter nos contulimus: sed tandem oborta est nobis magna vertigo, uni tamen maior quàm alteri, quam primùm dprehendimus in quodam qui æger erat, quique propterea magis offendebatur, atque etiam in nobis deprehendebamus magnam anxietatem oboriri, sic ut qui robustiores erant, ex suis cubilibus disilientes, primùm caminum aperuerunt, deinde ianuam: qui verò januam aperiebat animi deliquio correptus concidit cum magno strepitu supra nivem, quod ego, qui proximum januæ cubile habebam, exaudiens, eo cucurri, & illum animi deliquio correptum conspiciens, ilico acetum attuli, atque eius faciem fricavi, qua re ad se redijt. Ianuis apertis, omnes illo frigore fuimus refecti, quodque nobis tam acris hostis ante fuerat, tum salutis occasionem attulit: nam haud dubie in animi deliquio periissemus. Deinde Nauclerus, cùm ad nos redijssemus, singulis modicum vini dedit, ad cor roborandum.

8.Decemb. VIII. Decembris rigido aëre perseverante, licet Aparctias vehemens esset & frigidus, nō audebamus tamē carbones incendere ut præcedente die, quia infortunium prudentiores nos reddiderat, ne volentes effugere unum incommodum, in aliud peius incideremus.

9.Decemb. IX. Amoenus, serenusque fuit dies, splendētibus valde stellis, quam ob rem denuo januam prorsus aperuimus quæ ante multa nive constipata erat. Denuo etiam decipulas apparavimus ad capiendas vulpes.

10.Decēbr. X. Decembris, flante Arctozephyro, fuit etiam amoenus, serenus, splenduerùntque stellæ, Binas vulpes cepimus nobis valde utiles, quoniam cibus valde minuebatur, atque cum frigoris rigor magis atque magis intenderetur, earum pelles nobis erant usui.

11.Decēbr. XI. Serenus etiam fuit dies, sed impense frigidus, vt qui non expertus esset, difficulter credere posset, imo calcei pedibus nostris applicati, veluti cornu gelu rigebant, atque etiam interne, adeo vt calceis vti diutius nequiremus, sed latis crepidis laxisque uti necesse esset, quarum superior pars ex ovina pelle constabat, atque tria aut quatuor soccorum paria inducere oporteret, ambulando, ad fovendos pedes.

12.Decēbr. XII. Decembris, lucidus serenusque fuit aër, sed impense frigidus Arctapeliote flante, sic vt contignatio, parietes & cubilia nostra pæne unius digiti densitate gelu obducerentur, imo vestes quibus amicti eramus, gelu & pruina albescebant, atque licet nonnulli suaderent, vt denuo carbones incēderemus ad nos calfaciendum, & caminum apertum relinqueremus, nō audebamus tamen, præcedente exemplo edocti, quo, ne id faceremus, deterrebamur.

13.Decemb. XIII. Decembris Apeliote flante, serenus etiam fuit aër, atque vulpem cepimus, multum laboris insumentes, ad decipulas apparandas, quia si paulo diutius extra ædes immorabamur, gelu nobis in facie, & auribus pustulæ excitabantur.

14. Decēb. XIIII. Decembris, amoenus fuit dies, & cælum stellis splendentibus refertum spirante Arctapeliote. Tum sumpta altitudo Orionis humeri dextri cùm esset in Aftico vergente ad Zephyrum (eius tum summa erat exaltatio ad nostrum communem quadrantem) supra Horizontem autem elevatus erat xx. gradibus XVIII. scrupulis, eius declinatio erat 6. graduum 18. scrupulorum ad latus boreale æquatoris. Ea declinatio dempta ab altitudine reperta, manent 14. gradus, qui detracti de 90. poli altitudinem 76. graduum efficiunt.

15.Decemb XV. Decembris, serenus adhuc fuit aër, Apeliote spirante: quo die binas vulpes cepimus, & Lunam exorientem in Vulturno conspeximus, cùm iam 26. diebus comparuisset & in Scorpio esset.

16.Decēbr. XVI. Decembris serenum adhuc cælum fuit Arctapeliote flante: quo tempore nulla amplius ligna in ædibus fuerunt, reliquis combustis: sed in ambitu ædium cumulus lignorum iacebat, nive tamen prorsus contectus; illa nobis fuerunt magno cum labore & tædio eruenda, & nix palis eijcienda, vt in ædes transferremus, quod bini alternatim & bini fecimus, sed propere, quia diu foris consistere non licebat propter indicibile & intolerabile frigus: licet caput tectum haberemus vulpinis pellibus, & duplici veste muniti essemus.

17.Decēbr. XVII. flante Arctapeliote, serenum etiam fuit cælum, sed adeo ingens gelu, ut inter nos diceremus, si geda-

nense vas plenum aqua extra ædes una nocte maneret, futurum ut prorsus gelu adstringeretur.

XVIII. Decembris perseverante Arctapeliote cæloque sereno, septem ad navem profecti sumus, ad observandum quo in statu res essent; Sub tabulatum venientes, omnia foramina obturavimus, arbitrati vulpem nos reperturos, nullam autem vidimus: sed pervenientes in inferiorem amplitudinem, igne excusso ut observaremus navis statum, an aqua aucta esset, istic vulpem invenimus, quam domum delatam manducavimus: observavimus autem aquam 18. illis diebus quibus à nave abfueramus pollicem succrevisse, licet non iam aquam, sed glaciem, quæ statim ut succrescebat, gelu adstringebatur, atque etiam dolia in quibus adservabatur aqua ex Hollandia allata, ad fundum usque gelu constricta erat. 18 Decemb.

XIX. Decembris, Austro flante, serenum fuit cælum, ideo lætitia afficiebamur Solem iam dimidium cursum superasse, ut denuo ad nos accederet, ad quem nos maximè aspirabamus, nam tædiosum erat Sole carere præclara illa Dei creatura, quæ totum orbem gaudio afficit. 19 Decemb.

XX. Decembris ante meridiem serenum fuit cælum, & etiam vulpem ceperamus: sed sub vesperam cæpit adeo vehemens tempestas excitari mixta cum ingenti nivis procella ab Notozephyro, ut domus in ambitu nive obsideretur. 20. Deceb.

XXI. Decembris flante Arctapeliote serenum fuit cælum: atque omnibus expeditis, exitum aperuimus, & decipulas disposuimus ad capiendas vulpes, quia si interdum aliquam accipiebamus, nobis ut venatica sapiebat. 21. Deceb.

XXII. Denuo rigidus aer cum ingenti nivis procella nobis molestus fuit: Notozephyro flante, ianuam ædium prorsus obstruens, vt effodere nivem ad egrediendum necesse esset, quod pæne singulis diebus agendum erat. 22. Deceb.

XXIII. perseverante rigido aëre & Notozephyro flante cum ingenti nivis procella, consolabamur tamen nos, Solem denuo ad nos accedere: nam secundum nostram supputationem, eo die in Tropico capricorni debuit esse, qui postrema est linea, ad quam Sol ad australe latus Aequatoris progreditur, unde rursus versus Septentrionem vergit. Iacet hic Tropicus Capricorni 23. gradibus & 28. scrupulis ad Australe latus Aequatoris. 23. Deceb.

XXIIII. Decembris qui fuit pridie Natalis Domini, amœnus aër fuit. Tum denuo effodimus exitum ex ædibus, & versus mare coniectis oculis multam aquā apertam conspiciebamus, exaudiveramus autem glaciei profluentis stridorem, & licet nulla lux diei esset, nihilominus tam longe prospicere valebamus. Sub vesperam, exortus est vehemens ventus cū densæ nivis procella ex Arctapeliote, ita ut quod suffoderamus denuo oppleretur. 24. Deceb.

XXV. Arctozephyro flante rigidus fuit aër, & licet talis aura esset, nihilominus vulpes supra ædificium currentes exaudiebamus, quod nonnullis malum augurium esse dicentibus suborta est quæstio, cur malum esset augurium, responsum, quia non erant in ollam coniectæ aut veru transfixæ: ea namque ratione fuisset bonum augurium. 25. Deceb.

XXVI. Decembris eodem perseverante frigido aëre eodemque Arctozephyro, adeo intensum fuit gelu, vt incalescere nequiremus, tametsi omnes rationes iniremus sive ignem struendo, sive multis stragulis tegendo, sive calentes lapides & ferreos globos ad pedes & latera in nostris cubilibus applicando, nihilominus postridie mane omnia stragula cādebant, tanquam pruina fuissent aspersa, adeo ut subinde miserè mutuo nos intueremur, consolantes tamen nos quantum poteramus, iam nos in descensu montis esse, hoc est, Solem denuo ad nos sese convertere, observantes illud vulgare verum esse, *de dagen die langhen, zijn de dagen die stranghen*. h.e. dies quo longiores fiunt, eo rigidiores sunt, spes tamen lenit dolorem. 26. Deceb.

XXVII. Decembris eodem aëre ventoque perseverantibus, ut toto triduo in ædibus concluderemur, nec caput promere auderemus, in ædibus autem adeo ingens frigus erat, ut etiam si ante luculentum ignem sederemus & crura pæne ustularemus, a tergo autem frigeremus, & veluti pruina aspersi videremur, quemadmodum rustici conspiciuntur, quando in Hollandia tota nocte iter conficientes, mane portas urbis ingrediuntur. 27. Decebr.

XXVIII. Eodem aëre perseverante & Zephyro flante, sub vesperam remissior fieri cæpit, sic ut unus è nostris nautis, foramine in ianua facto, domo eruperit, ad conspiciendum quo in statu res essent, sed parum moratus, nobis retulit nivem longè altiorem esse nostro ædificio, atque si diutius foris hæsisset, haud dubie aures gelu corruptas fore. 28. Decebr.

XXIX. Decembris tranquillo aëre tenebræ obortæ Austro spirante. Quo die, quem sors tangebat, ianuam aperuit, nivemque suffodiens aperturam fecit, qua per 7. aut 8. gradus ex ædibus exitus pateret, quemadmodum ex cella vinaria, singulos gradus unius pedis altitudine. Decipulas & laqueos denuo apparantes ad capiendas vulpes, quas aliquot diebus non habueramus, atque unus ex nautis illas apparando mortuam vulpem invenit in vna decipula, tam rigidam atque lapis, quam in ædes delatam apud ignem ad gelu dissolvendum collocavimus, pellem ei detraximus, & quibusdam in cibum cessit. 29. Decebr.

XXX. Decembris denuo molestus fuit rigidus aër, cum tempestate ex Zephyro, & densæ nivis procella, adeo ut frustraneus fuerit omnis labor quem pridie sumpseramus ad conficiendos gradus, quibus conscensis ex ædibus egrederemur, ad decipulas disponendas, quia iterum omnia nive sepulta fuerunt etiam altiore quam antea. 30. Decebr.

XXXI. Decembris eodem perseverante aëre cum tempestate ex Arctozephyro, in ædibus conclusi fuimus perinde atque in carcere, tantumque fuit gelu, ut ignis vix calorem præberet: nam pedes igni opponentes, ante soleas caligarum adurebamus, quàm calorem sentiremus, sic ut perpetuo nobis essent sarciendæ, imo nisi ustula- 31. Decebr.

tionis

tionis nidor nostras nares ante ferijsset, quam calorem sentiremus, prius prorsus adussissemus, quam animadverteremus.

ANNO 1597. ANNO M.D.XCVII.

Transacto sic anno in magno frigore, periculis & incommoditatibus, ingressi sumus annum à Nativitate Domini nostri M. D. X C V I I. qui initium simile habuit fini anni 1596. nam aër perinde rigidus permansit cum

1. Januarij. densæ nivis procellis, ita ut prima Januarij domi conclusos manere oportuerit flante Zephyro. Eo tempore cæptum est vinum distribui in singulos parva mensura, in biduum semel. Et quandoquidem metuebamus, multo tempore nos istic hæsuros ante quam discedere possemus (quod interdum nos valde angebat) nonnulli suam vini portionem conservabant quam diu poterant, ut si diu id tempus persisteret, in necessitate aliquid in promptu haberent.

2. Januarij. II. Januarij Zephyrus perinde vehementer adhuc flavit, magnam tempestatem advehens & densæ nivis procellam, & gelu, sic ut quaternis aut quinis diebus, ne caput quidem proferre auderemus, & propter ingens frigus pæne quidquid ligni in ædibus habebamus absumptum erat, nihilominus extra ædes prodire verebamur ad ferenda ligna, quia adeo ingens & acre erat gelu, ut nemo foris persistere posset, diligenter tamen investigando, ad ædium vestibulum nonnullas assulas ligni reperimus, quas confregimus, simulque fidimus truncum in quo induratum piscem contundere eramus soliti, nobis opem ferentes quacunque re possemus.

3. Januarij. III. Januarij perseverante adhuc rigido aëre, Arctozephyro densam nivem adferente & intensissimo frigore, adhuc in ædibus conclusi fuimus, vix ligna habentes quibus ignem strueremus.

4. Januarij. IIII. Januarij eodem rigido aëre cum densæ nivis procella perseverante & Notozephyro flante, adhuc in ædibus conclusos manere oportuit. Vt autem sciremus unde ventus flaret, ex camino dimidiam sarissam protulimus cui parvum vexillum aut parva ala alligata esset, sed illico observare oportuit vnde flaret ventus, quia simulatque prolatum erat vexilum, statim instar baculi rigebat, nec torqueri poterat: proinde alter alteri dicebat, quam acre frigus foris esse debet?

5. Januarij. V. Aëre aliquantulum mitescente, denuo januam fodiendo aperuimus, ut egredi liceret, & extulimus omnem inmunditiem & sordes quæ per id tempus quo conclusi fueramus, erant collectæ, atque omnibus rebus apparatis, intulimus ligna atque fidimus, totum diem in eo occupantes, ut in promptu haberemus quantum fieri posset metuentes ut denuo ita includeremur. Vt vero in nostro vestibulo tres erant aditus sive januæ, & ædes sub nive sepultæ erant, mediam januam ademimus, & extra ædes ingentem fossam in nive suffodimus fornicis aut cellæ instar, in quam concederemus exonerãdi alvi & vesicæ causâ, & reliquas immunditias abijceremus. Cum igitur toto die in his parandis fuissemus occupati, venit nobis in memoriam, trium magorum, quos Reges vocant, vigiliã esse: itaque à nostro Nauclero postulavimus, ut eo die inter tot miserias semel hilares esse liceret, atq; in eã rem, partem demensi vini, quod in binos singulos dies nobis distribuebatur, concedere vellet, nos etiam quod comparsissemus in medium collaturos. Illa igitur nocte aliquantulum nos refecimus, & Regum, ut vocant noctem celebravimus, adiecimus duas farinæ libras (quæ ad chartas glutinandas destinata erat) ex qua placentas ex oleo in sartagine coximus, atque singuli biscoctum panem album Vino intinctum edimus, nobis persuadentes in patria, & apud parentes & amicos nos esse, atque non minus hilares fuimus, quàm si domi opiparã cænã fuissemus excepti, adeo nobis sapida fuit. Distribueramus etiam schedas quibus erant inscripta officiorum nomina, nostroque Conestabili contigit ut eam acciperet, quã *Novæ Zemblæ* Rex declarabatur, quæ protensa est in longitudinem ducentorum milliarium inter duo maria.

6. Januarij. VI. Januarij flante Arctapeliote, serenoque aëre, ædes egressi, decipulas reparavimus ad vulpes capiendas, quæ nobis erant veluti ferina, atque magnam fossam in nive suffodimus, sub qua sepulta erant ligna ad ignem struendum idonea, quã supernè in modũ fornicis cellæ concinnavimus, ex qua ligna quando opus erat petebamus.

7. Januarij. VII. Rigidus fuit aër, Arctozephyro flante densamque nivem advehente cum acerrimo frigore, quo nõ mediocris timor incussus fuit, ne denuo in ædibus conclusi manere cogeremur.

8. Januarij. VIII. Januarij spirante Aparctia, denuo serenum fuit cælum: itaque rursus apparatæ decipulæ ad nostram venationem, cuius eramus valde cupidi. Tũ ex diei luce clariore incipiebamus observare Solem ad nos redire, quæ cogitatio non modicã lætitia afficiebat

9. Januarij. IX. Januarij denuo rigidus aër nobis fuit molestus, Arctapeliote flante, gelu tamen nõ fuit adeo intensum, ut præcedentibus diebus, sed poteramus aliquamdiu foris hærere, ad decipulas reparandas: nihilominus necesse non fuit nos de reditu in ædes monere, quia frigus satis nos docebat diu foris non esse morandum.

10. Januarij X. Januarij Aparctias denuo serenum aërem nobis attulit, & septem è nostris, armis probe instructi ad navem profecti sumus, ad quam pervenientes, reperimus in eodem statu esse quo postremum eam reliqueramus, observavimus etiam multa ursorum vestigia magna & parva, ex quo apparebat plures fuisse quam unum aut alterum. In inferiorem navis partem pervenientes, igne excitato, & candela accensa, comperimus aquam in navi pænè ad pedis altitudinem auctam esse.

11. Januarij. XI. Januarij sereno die & Arctapeliote flante, paulo remissior fuit frigoris rigor, sic ut interdum liberius ex ædibus

ædibus progredi auderemus, & etiam circiter quadrantem milliaris ad montem usque excurrere, ad lapides tollendos, quibus igni expositis, deinde nos in nostris cubilibus calefaceremus.

XII. Ianuarij perseverante serenitate, & Zephyro spirante, sub vesperam valde serenus fuit aër, & cælum splendentibus stellis illustre: propterea altitudinem dimensi sumus Oculi Tauri, splendentis & bene noti sideris, quod fuit supra Horizontem 29. gradibus 54. scrupulis, eius declinatio erat 15. graduum 54. scrupulorum ad borealę latus Æquatoris. Eâ declinatione detractâ de altitudine repertâ manent 14. gradus, qui dempti de 90. manent 76. gradus; sic ut dimensio huius sideris, & aliorum quorundam, cum Solis dimensione convenirent, & significarent nos isthic esse sub altitudine 76. graduum, vel paulo magis. 12. Ianua.

XIII. Ianuarij serenus & tranquillus fuit aër, Zephyro spirante, atque animadvertere potuimus, diei lucem aliquantulum augeri, ita ut egressi globo luderemus, cuius cursum & volutationem ante non potueramus observare. 13. Ianua.

XIIII. Ianuarij tranquillus fuit aër sed turbidus, Zephyro spirante, quo die binas vulpes cepimus. 14. Ianua.

XV. Ianuarij Zephyro adhuc spirante, serenus fuit aër, & nos sex ad navem profecti sumus: ad quam pervenientes reperimus vestem illã vulgo *Bolevanger* nuncupatã, sacci instar factam nautis usitatam, ex qua per bina foramina brachia exerunt, quam dum postremo in navi fueramus, in foramine tabulati posueramus ad vulpes capiendas, inde extractam, & procul extra navem delatam & ruptam ab vrsis, ut ex vestigijs deprehendebamus. 15. Ianua.

XVI. Aparctia flante habuimus denuo serenum cælum, sic ut interdum ex ædibus prodeuntes progrederemur ad artus deambulatione atque jactu & cursu roborandos, ne torperemus, atque meridie rubedinem quandam in aëre observabamus, tanquam præcursorem advenientis Solis. 16. Ianua.

XVII. Aparctia spirante & sereno cælo, magis ac magis animadvertebamus Solem nobis viciniorem fieri, & interdiu paulo maiorem calorem sentiebamus, quàm cum apud luculentum ignem sederemus, sic ut interdum magna glaciei fragmenta à parietibus & contignatione deciderent, & ex nostris cubilibus humor stillaret, quod ante non contigerat, quantumvis luculentum ignem strueremus: sed nocte rursus gelu omnia adstringebantur. 17. Ianua.

XVIII. Ianuarij Notapeliote flante, serenum etiam fuit cælum, ligna autem minui incipiebant, sic ut diceremus lithanthraces denuo usurpandos, & caminum apertum relinquendum, ne suffocationis esset periculum, quod fecimus, nec male cessit nobis, nihilominus æstimavimus conducibilius fore carbones conservare, & aliquanto parcius lignis uti, quia carbones in futurum, cum aperta cymba domum repeteremus, nobis erãt futuri utiliores. 18. Ianua.

XIX. Aparctias serenitatem nobis attulit, panis autem quantitas minui incipiebat, quia dolia iusti ponderis non fuerant, propterea demensum nonnihil imminui oportuit, unde factum ut qui aliquid de demenso comparserant eo nunc uterentur, & quidam è nostris sereno cælo interdum ad nauem proficiscebantur, & clam auferebant unum aut alterum panem biscoctum è dimidiato dolio, quod ad extremam necessitatem servare cogitaverant. 19. Ianua.

XX. Nubibus obtectum fuit cælum, & tranquillus aër Notozephyro spirante, in ædibus tamen hæsimus, lignáque sidimus ad ignem struendum, insuper aliquot dolia inania confregimus, abiectis supra tectũ ferreis circulis. 20. Ianua.

XXI. Zephyro spirante fuit serenum cælum. Vulpium captura minui cæpit, quod veluti prognosticon fuit, vrsos brevi reversuros, ut postea experti sumus: nam quamdiu vrsi latuerunt, vulpes advenerunt, deinde tam frequentes venire desierunt, circiter vrsorum adventum. 21. Ianua.

XXII. Zephyro spirante fuit etiã serenitas: propterea denuo ex ædibus egressi ad globos iaciendos, & animadvertentes diei lucem augeri, quidam dixerunt Solem brevi appariturum, quibus *Willelmus* B.F. dixit vix intra binas hebdomadas appariturum. 22. Ianua.

XXIII. Sereno adhuc cælo, & Notozephyro flante, quatuor profecti sumus ad navem, invicem confortantes & Deo gratias agentes, rigidissimam hienis partem iam preterijsse, sperantes nobis vitam concessurum, ut in patriam reduces hæc omnia referremus. In navem ingressi, observavimus aquam succrescere, & singuli sumentes unum aut alterum panem biscoctum, domum redijmus. 23. Ianua.

XXIIII. *Ianuarij Zephyro spirante serenoque cælo, ego, noster Nauclerus* Iacobus Hemskerck, *& tertius quidam profecti sumus versus maris littus, ad australe latus Novæ Semblæ, ubi præter nostram opinionem ego omnium primus vidi Solis iubar, propterea statim ædes repetivimus, ut id* Willelmo B.F. *& reliquis socijs pro læto nuncio referremus.* Willelmus B.F. *strenuus & exercitatus Gubernator nullam prorsus fidem adhibere volebat, tanquam maturius esset circiter 14. diebus, quàm ut Sol istic, & in ea altitudine apparere posset. Nos contra affirmabamus Solem conspexisse, sic ut diversæ de ea re essent concertationes.* 24. Ianua.

Vt Sol; cuius conspectum 4. Novemb. amiserant, denuo cõspectus est, 24. Ianuarij, quod valde admirabile est, & omnibus Eruditis disceptandi occasioné præbet.

XXV. & XXVI. Fuit nebulosus & obscurus aër adeo ut non appareret, propterea qui contrariæ erant opinionis, existimabant se certamen vicisse: sed 27. sereno cælo, omnes vidimus Solem in pleno suo orbe supra Horizontem, ex quo satis apparebat nos eum 24. conspexisse.

Atque in hunc modum diversæ opiniones fuerunt prolatæ, videlicet id repugnare omnium veterum & Neotericorum Auctorum sententiæ, imo ordini Naturæ, & rotunditati terræ & cæli: inde nonnulli occasionem sumpserunt dicendi nos (quandoquidem multo tempore nulla diei lux fuisset) obdormijsse, cum tamen minime id factum fuisse certi simus. Sed quantum ad rem ipsam attinet, ut Deus admirabilis est in suis operibus, ita ad eius omnipotentiam nos referimus, & alijs

disceptandum relinquimus. Sed tamen ne quis existimet nos de ea re dubitare, si silentio ista praeteriremus, libenter rationem reddere volumus, quo modo in nostra supputatione non erraverimus.

Sciendum igitur est, Solem, cùm primùm nobis apparuit, in 5. gradu 25. scrupulo Aquarij fuisse, & secundum nostram primam opinionem, duntaxat apparuisse deberet in 16. gradu 27. scrupulo Aquarij in ea 76. graduum altitudine in qua eramus.

Super his contrarijs rebus satis admirari nequibamus, & invicem dicebamus, an etiam in observatione temporis errassemus, quod impossibile nobis videbatur, quandoquidem singulis diebus, nullo praetermisso, adnotaveramus quidquid actum fuisset, & semper eramus usi nostro horologio, cumq; id gelu adstringeretur, clepsidra duodecim horarum. Praeterea usi sumus diversis alijs rationibus, per quas hoc discrimen & veram temporis certitudinem deprehendere possemus. His omnibus, quae consideranda erant, consideratis, consultum nobis fuit Iosephi Schala Ephemerides Venetijs cusas consulere ab anno 1589. ad annum 1600. in quibus invenimus, 24. Ianuarij (quo primum nobis apparuit Sol) Venetijs horâ primâ noctis Lunae & Iovis coniunctionem esse. Propterea diligentem observationem adhibuimus, quando apud aedes in quibus versabamur ea coniunctio fieret. Et valde diligenti observatione factâ, comperimus 24. illum Ianuarij eundem esse, quo Venetijs dicta coniunctio facta est, noctu horâ 1. & apud nos matutino tempore circa Solem existentem in Apeliote: nam assidue coniectis Oculis in binos iam dictos Planetas, animadvertimus paulatim viciniores sibi fieri donec Luna & Iuppiter rectè supra invicem starent, uterque in sidere Tauri, idque mane horâ sextâ. Eo tẽpore fuerunt Luna & Iuppiter, supra quadrantem apud nostras aedes, coniuncti in Hyperborea, & Auster quadrantis erat in Austroafrico, istic habuimus rectũ Austrũ, Luna iam octavo die. Ex quibus omnibus apparet Lunam & Solem octo rhombis ab invicem separatos esse. Id contigit circiter sextam matutinam, & differt à Venetijs in longitudine quinque horis, ex quibus supputatio fieri potest quanto magis ad Orientem vergebamus quàm Venetiae, videlicet quinque horis, pro singulis horis 15. gradus supputando, eramus igitur 75. gradibus Orienti viciniores quàm Venetia, Ex quibus omnibus certo deprehendi potest, nos in nostrâ supputatione errorem non commisisse, atque etiam nostram veram longitudinem nos reperisse ex duobus praedictis Planetis. Venetiarum enim civitas est in 37. gradu 25. scrupulis Longitudinis, declinatio autem 46. graduum, 5. scrupulorum, unde sequitur locũ, in quo in Nova Zembla *eramus, fuisse in 112. gradu & 25. scrupulis longitudinis, 76. gradu altitudinis Poli. Ea est recta longitudo & latitudo. Deinde ab extimo Orientali angulo* Novæ Zemblæ *usque ad Promontorium Tabin, extimum Tartariae angulum, qui se convertit ad Austrum, differentia est longitudinis 60. graduum, hoc intellecto gradus non esse perinde magnos atque sub AEquatore. Rectè enim sub AEquatore gradus comprehendit 15. milliaria: sed recedendo vel ad Septentrionem vel ad Austrum, minuuntur gradus in longitudine, ita ut quo propius acceditur sive ad Antarcticum polum sive Arcticum, eô breviores sunt gradus. Sic ut sub altitudine 76. graduum versus Septentrionem, ubi hiemem trãsegimus, gradus non sunt maiores tribus milliaribus & dodrante, ex quibus facilis dimensio fieri potest, quod duntaxat per 60. gradus velificatio nobis facienda erat usque ad praedictum Promontorium Tabin, quod simul conficit 220. milliaria, si id Promontorium est in longitudine 172. graduum, ut arbitrantur. Illo super. 10, aestimandum esset nos in freto Anian futuros, unde deinde liberè circa Austrum possemus vela facere, secundum terrae protensionem. Caeterum quantum ad ea quae sunt dicta, quod videlicet Sol sub iam dictâ 76. graduum altitudine 4. Novembris nobis disparuit, & 24. Ianuarij rursus nobis conspectus est, ijs disputandum relinquimus qui professionem eius rei faciunt. Nobis satis sit demonstrasse, nos in temporis observatione minimè lapsos esse.*

25. Ianuar. x x v. Ianuarij Zephyro flante, cælum nubibus tectum fuit, sic ut revocaretur in dubium an pridie Solem conspexissemus, & fierent varia certamina, assidue observantes an Sol appariturus esset. Illo ipso die ursus denuo ex Notozephyro versus nostras ædes advenire conspectus est, cum nullus (quamdiu Sol latuit) apparuisset. Sed clamore à nobis excitato propius non accedens, abijt.

26. Ianua. x x v i. Ianuarij serenum fuit cælum, in Horizonte autem suborta est obscura nubes quæ nobis Solis conspectum ademit, sic ut reliqui nautæ existimarent nos 24. hallucinatos esse, nec solem nobis apparuisse, & irridebant: nos verò firmiter asseverabamus Solem conspexisse, tametsi non plenum eius orbem. Sub vesperam noster æger valdè imbecillis factus est, & magno dolore afficiebatur, quia diu incommodè decubuerat, nos tamen pro nostris viribus illum consolabamur, & exhortabamur: verùm paulo post mediam noctem è vivis excessit.

27. Ianua. x x v i i. serenum fuit cælum Notozephyro spirante. Nos proximè ædes scrobem in nive fodimus, sed adeo intensum erat frigus, ut foris diu persistere nequiremus, sic ut alternatim singuli paululum foderent, deinde illico ad focum se conferrent, succedentibus alijs in eorum locum, donec tandem septem pedes profunda fossa fieret, in quâ mortuum sepelivimus. Deinde veluti lugubri concione facta, legendo, & Psalmos canendo, funus prosequuti sumus, & sepelivimus, deinde in ædes regressi prandimus. Interea sermones conferentes de densâ nive quæ singulis diebus cadebat, quodque si domùs denuo nive concluderetur, in necessitate possemus per caminum cõscendere, noster Nauclerus voluit experiri an istac egredi posset, propterea propetè excurrit unus è nautis extra ædes, ad conspiciendum an Nauclerus extra caminum proreperet, ille supra nivem perveniens, Solem vidit, atque nos omnes evocavit, nos illico egressi omnes Solem in suo pleno orbe paullo supra Horizontem vidimus, Tum omnis dubitatio fuit adempta, an Sol 24. Ianuarij nobis apparuisset: eam ob causam omnes gaudio perfusi, Deo magnas gratias egimus pro sua misericordia, quod illustre illud sidus denuo nobis ortum esset.

28. Ianua. xxvi i i. Ianuarij, spirante Zephyro, & sereno cælo, egressi sumus interdum, & nos exercere cæpimus deambulatione,

latione, cursu, globi iactu(quantum quidem prospicere poteramus) ad artus confirmandos & agiliores reddendos, quia longo tempore desides consederamus, eaque de causa multi stomacacce erant infecti.

XXIX. Denuo molestus fuit rigidus aër, Arctozephyro multas nivis procellas impellente, sic vt domus denuo nive obstrueretur. 29. Ianua.

XXX. Ianuarij, obscurus fuit aër Apeliote flante, atque denuo per ianuam foramen in nive suffodimus, nivem tamen duntaxat in vestibulum proijcientes: nam quam primum observabamus qualis foris esset aëris constitutio, nulla cupiditas egrediendi nobis erat. 30. Ianuá.

XXXI. Ianuarij tranquillus & serenus fuit aër Apeliote flāte: propterea vestibulum à nive liberavimus, quam supra ædes coniecimus, atque egressi, Solem clarè splendentem conspeximus, quo lætitiâ fuimus perfusi: interea vidimus vrsum versus ædes advenientem, intro autem tacitè nos subducentes, atque illum exspectantes, cum propinquius accessisset, sclopo exploso illum petijmus proximè januam, adhuc tamen effugit. 31. Ianua.

FEBRVARIVS 1597.

I. Februarij, pridie Purificationis Mariæ, Arctozephyro flante, rigidus fuit aër cum magnâ tempestate & nivis procellâ, vt domus denuo in ambitu niue cingeretur, & intus concluderemur. 1. Februa.

II. Febr. perseverauit rigidus aër, sic vt observantes Solem rigidam illam aëris intemperiem nondū sustulisse, interdum animum quodammodo desponderemus: quia sub spe mitioris aëris, eam ligni quantitatem in ædes non detuleramus, quantum antea. 2. Februa.

III. Febr. Apeliote spirante, denuo serenum fuit cælum: sed deinde valdè nebulosum, sic vt Solem conspicere nequiremus, nec magnopere lætabamur nebulas majores offundi quā in hieme conspexeramus: sed per ianuam niue suffossâ, ligna quæ apud fores erant intulimus, quæ magno labore & difficultate ex niue eruenda fuerunt. 3. Februa.

IIII. Februarij denuo rigidus fuit aër, cum ingenti nivis procella coniunctâ, ex Notozephyro, atque rursus nive fuimus obsepti: non impendimus tamen tantum laborem ad assiduè aperiendam ianuam: sed cùm necessitas urgeret, ut foras prodeundum esset, per caminum egressi, necessarijs peractis, per eundem caminum regrediebamur. 4. Februa.

V. Februarij Apeliote flante & procellam nivis ingentem agente, rigidus fuit aër, qui nos domi conclusit, & exitum omnem præclusit, præterquam per caminum, qui conscendere nequibant, intus ut poterant sua negotia peragebant. 5. Februa.

VI. Februarij eodem rigido aëre perseverante, cum tempestate & nivis procellâ, cum iam assueti essemus per caminum egredi, quod quibusdam ex nostris facile erat, non sumebamus hunc laborem singulis diebus nivem suffodere ad egressum. 6. Februa.

VII. Februarij Notozephyro flante rigidoq; perseverante aëre, cum nivis procellâ, oportuit nos denuo domi hærere, quod nobis magis molestum erat, quam ante cùm Sol nobis ademptus esset, nunc vero illo conspecto, & eius amœnitate gustatâ, eo carendum esse, dolebat. 7. Februa.

VIII. Notozephyro spirante, mitescere cæpit aër, & serenus esse: ac tum Solem exorientem vidimus in Euronoto, atque occidentem in Austroafrico, videlicet secundum quadrantem quem apud ædes ex plumbo feceramus & ad rectum Meridianum istic direxeramus, alioqui secundum nostrum vulgatem quadrantem differentiâ erat duorum rhumborum integrorum. 8. Februa.

IX. Februarij Notozephyro flante amœnus serenusq; fuit aër, nihilominus Solem conspicere nequivimus, quia obscuritas erat in Austro, ubi Sol exoriri debebat. 9. Februa.

X. Februarij serenum etiam fuit cælum & tranquillitas, sic ut discernere non possemus unde ventus spiraret, atque Solis calorem interdum sentire incipiebamus: sed sub vesperam Zephyrus nonnihil flare cæpit. 10. Febru.

XI. Februarij Austro spirante, serenus amœnusque fuit aër & tranquillus: circa meridiem versus ædes Vrsus advenit, quem exspectabamus duplicibus sclopis muniti, sed tam prope ad nos non accessit, ut eum globo petere possemus. Eadem nocte denuo audivimus aliquem Vulpium gannitum, quas postquam vrsi rursus apparere cæperunt, raro videbamus. 11. Febr.

XII. Februarij serenus & tranquillus fuit aër Notozephyro spirante; quare decipulas denuo expurgavimus. Interea versus ædes advenit ingens vrsus, quo conspecto in ædes festinanter nos recepimus, & ex ianua cum sclopis simplicibus tum duplicibus, quos musquetos vulgo appellant, instructi, in illū intenti eramus, atque ut rectà ad ianuam accedebat in pectore vulneratus & traiectus, ut globus apud caudam egrederetur, adeo planus, ut æreus nummus malleo complanatus. Vrsus vulneratum se sentiens, magno conatu resilijt, & fugiens ad circiter 20. aut 30. pedum longitudinem ab ædibus, decidit. Tum subito ex ædibus omnes effusi ad Vrsum profecti sumus, vivumque adhuc reperimus, ita ut caput attollens illud ad nos obverteret, quasi observaturus quis eum vulnerasset: nos autem illi non fidentes, cuius robur observaveramus, duplicibus binis sclopis ipsum transfiximus quibus extinctus est: cadavere aperto, intestina eduximus, & cadaver apud ædes pertraximus, & pellem detraximus, ex eo pæne centum axungiæ libras eximentes, quam liquavimus ad lucernarum usum: quod nobis percommode accidit; quia liberalius deinde lucernis alimentum dedimus ut tota nocte arderent, quod antea olei penuriâ facere nequibamus, imo singuli pro arbitrio in suo cubili lampadē ardentē tenuerunt. Pellis fuit 9. pedes longa, 7 lata. 12. Febr.

Delineatio vrsi ferocis audacter domum accedentis, & ab uno ex nostris in foribus stante prope ianuam occisi, ex quo pene centum axungiæ libras eduximus, valde nobis necessarias ad usum lucernarum, quibus ante, penuria olei, rarò utebamur, tum autem per totam noctem usi sumus.



13. Februar. XIII. Februarij serenus fuit aër sed Zephyrus vehementer flavit, & lumen majus solito in ædibus habebamus ob ardentes lucernas, sic ut interdum legendo & alijs rebus, commodius tempus terere possemus, quàm ante, cùm propter obscuritatem, noctem à die vix dignoscere possemus, neque perpetuum lumen haberemus.

14. Februa. XIIII. Februarij ante meridiem Zephyro vehementer flante, serenum fuit cælum, à meridie autem tranquillus fuit aër, propterea nos quinque ad navem profecti sumus, ad observandum quo in statu esset, quam paululum plus solito aquâ repletam reperimus.

15. Februar. XV. Februarij, cùm rigidus esset aër, cum tempestate ex Notozephyro excitatâ, & nivis procellâ, tota domus rursus fuit obsessa. Noctu advenerunt vulpes ad ursi cadaver quod iuxta ædes erat, unde metuebamus, ut omnes vicini vrsi ad nos essent accessuri, itaque consultum censuimus, ut statim atque domo egredi liceret, cadaver profũdè sub nive conderemus.

16. Februa. XVI. Februarij, eodem vento flante, idem perseveravit rigidus aër, atque nivis procella. Cumque is dies esset quo Bacchanalia celebrari solent, paululum nos refecimus in nostrâ tristitiâ, singuli parvum demensum vini cõferentes, in memoriam, hiemis finem adventare, & iucundum ver in procinctu esse.

17. Februa. XVII. Februarij tranquillus fuit sed obscurus aër, Austro spirante. Nostram januam aperientes nivem palis eiecimus, & cadaver in fossam coniecimus, ex quâ ligna erueramus, atque operuimus, ad occasionem tollendam ne vrsi ad nos allicerentur. Denuo etiam decipulas reparavimus ad capiendas vulpes. Eo die quinque rursus ad navem sumus profecti, ad observandum quo in statu esset, quam reperimus in eodem permanere, multa vrsorum vestigia nihilominus in ea conspicientes, quasi per nostram absentiam eius possessionem capere voluissent.

18. Februa. XVIII. Flante Notozephyro rigidus fuit aër, cum multis nivis procellis & ingenti frigore. Noctu cum lampades arderent, & aliqui ex nostris serius obdormivissent, exaudierunt supra tectum quorundam animalium gressus qui maiores videbantur quàm erant, adeo crepitabat nix & magnum sonitum edebat, ut etiam vrsos esse putaremus: sed cùm illuxisset nulla alia deprehendimus vestigia quàm Vulpium: nox enim per se obscura & horrida, ea quæ sunt horrida, horridiora efficit.

XIX. Februa-

XIX. Februarij spirante Notozephyro tranquillus & serenus fuit aër. Eo die Solis altitudinem dimensi sumus, quam iam longo tempore sumere nequiveramus, quia Horizon purus non erat, tum quod adeo altus non esset, neque tantam umbram præbebat, quæ in Astrolabio nobis erat necessaria: nos instrumentum fabricavimus hemicycli instar, notatis in mediâ unâ parte 90. gradibus, cui appendimus filum cum plumbi fragmento perinde ut in Libella, eo Solis altitudinem dimensi sumus, cùm esset in summâ suâ exaltatione, atque comperimus eum supra Horizontem tribus gradibus, eius declinatio erat 11. graduum 16. scrupulorum, qui coniuncti altitudini, faciunt 14. gradus 16. scrupulos, quibus de 90. gradibus demptis, remanet Poli altitudo 75. graduum 44. scrupulorum: ut vero prædicta 3. graduum altitudo sumpta erat ab infimo Solis angulo, adijciendi sunt 16. scrupuli ad Poli altitudinem, tum restabunt præcise 76. gradus, ut in omnibus ante dimensionibus repereramus. 19. Febr.

XX. Februarij rigidus fuit aër cum magna nivis procellâ à Zephyro propulsâ, quâ rursus obsessi fuimus domi, ut sæpe antea. 20. Febr.

XXI. Arctozephyro flante rigidus fuit aër, vehementes venti & densa navis procella, quâ mœrore magis afficiebamur quàm antea, quia prorsus lignis carebamus, & confringenda quærendaque nobis fuerunt quæ pedibus atterebantur, & neglecta, cùm lignis abundabamus, sic ut illum diem & noctem transegerimus ut potuimus. 21. Febr.

XXII. Februarij serenus tranquillusque fuit aër, & Notozephyrus spiravit: atque nos accinximus ad trahâm lignis onustam quærêdam, necessitas enim ad illud opus nos cogebat, ut vulgo dicitur, famem ex silva lupum exturbare, 11. igitur armis bene instructi profecti sumus: pervenientes autem ad locum ubi ligna reperire sperabamus, nulla eruere potuimus, quod nimis alte sub nive essent demersa, propterea longius progredi necesse fuit, ubi magno cum labore aliquid eruimus: & reditus fuit nobis adeo acerbus, ut fere animo linqueremur, propter enim diuturnum frigus, & incommoditates, adeo debiles eramus & defatigati, ut vires nos deficerent, atque fere desperaremus eas nos recupere posse, nec ligna amplius adferre, quo cõtingẽte, frigore perituri essemus: sed præsens necessitas, & spes melioris valetudinis, nobis vires suggerebant, ut plus efficeremus quàm nostræ vires ferrent. Circa domum venientes, multam in mari aquam conspeximus, quæ iam longo tempore non fuerat conspectâ, quod etiam nostrum animum refecit, & spem addidit melioris successus. 22. Febru.

XXIII. Februarij tranquillus fuit aer, sed obscurus, Notozephyro spirante, atque binas vulpes cepimus, quæ nobis fuerunt pro carne ferina. 23. Febru.

XXIIII. Eadem quo præcedente die fuit aëris constitutio, & præparatas habuimus assidue nostras decipulas ad capiendas vulpes: nullam tamen cepimus. 24. Febru.

XXV. Februarij flante Aparctia denuo fuit rigidus aër cum nivis procella coniunctus, fuimusque nive obsessi, ut egredi non liceret. 25. Febru.

XXVI. Obscurus fuit aër sed tranquillus spirante Notozephyro, ianuaque aperta egressi, corpus exercuimus deambulatione & cursu, ad membra nostra agiliora reddenda, quæ desidiâ pæne torpuerant. 26. Febru.

XXVII. Tranquillus fuit aër. Austro flante, sed frigus acre, nostraque ligna valde minuebantur, quapropter magnopere eramus anxij, animo reputantes quàm acerba nobis fuisset postremâ vectura, quodque denuo repetenda esset, nisi frigore perire vellemus. 27. Febru.

XXVIII. Februarij tranquillus perseveravit aër Notozephyro spirãte, & 10. profecti eo die lignorum vecturam adduximus, non minore labore atque molestia quam ante: quia unus è nostris nos iuvare nequibat, propter maioris digiti pedis primum articulum gelu corruptum. 28. Febru.

MARTIVS 1597.

I. Martij serenus & tranquillus fuit aër, Zephyro spirante: sed tamen ingens & acre frigus, & nobis parcè urenda erant ligna, quia adeo acerbum erat illa quærere, interdiu igitur, quantum vires ferre poterant, ad corpus calefaciendum, cursu, deambulatione, saltu nos exercebamus, & ijs qui in suis cubilibus hærebant lapides calentes præbebamus ad calfaciendum, & sub vesperam luculentum ignem struebamus, quo contenti eramus. 1. Martij.

II. Martij frigidus serenusque fuit aër Zephyro spirante. Eo die sumptâ Solis altitudine cum in summa exaltatione esset invenimus eum 6. gradibus 48. scrupulis supra Horizontem elevatum esse, eius declinatio erat 7. graduum 12. scrupulorũ, quæ coniuncta, 14. efficiunt, eo numero detracto de 90. Poli altitudo remanet 76. graduum. 2. Martij.

III. Martij serenus tranquillusque fuit aër & Notozephyrus spiravit, sic ut nostri ægri paullulum reficerentur & in suis cubilibus sedere inciperent, ad aliquid agendum fallendi temporis gratiâ, quod postea illis non bene cessit, quia maturius quàm oportebat surrexissent. 3. Martij.

IIII. Martij, Zephyro spirante, tranquillus fuit aër. Quo die adhuc Vrsus versus ædes venit, nos verò illum ut antea cum sclopis expectantes, eum ferivimus, nihilominus effugit. Nos etiam quinque ad navem profecti, observavimus vrsos in navi omnia turbasse, & culinæ iamtam profundè sub nive sepultam confregisse (existimantes forte sub ea aliquid latere) & magnum eius fragmentum extra navem protraxisse, ubi postea repetimus. 4. Martij.

V. Martij flante Notozephyro, asper fuit aër. Atque cum sub vesperam mitescente aëre ex ædibus progrederemur, in mari conspeximus maiorem aquæ quantitatem quàm antea, unde gaudio affecti fuimus, sperantes nos cum tempore discessuros. 5. Martij.

6.Martij. VI.Martij, perseveravit rigidus aër cum magnâ tempestate ex Notozephyro, & multis nivis procellis. Atque eodem die quidam è nostris conscendentes caminum, observarunt in mari & circa continentem, multam aquã apertam, sed navis firmiter adhuc in glacie adstricta manebat.

7.Martij. VII.Idem perseveravit asper aër & ventus, sic ut penitus in ædibus concluderemur, & qui egredi vellent, camino conscenso id agere oporteret, quod nobis valde familiare erat. Conspiciebamus etiam magis ac magis apertam aquam in mari & secundum continentem, atque existimabamus navem in istis tempestatibus & glacie profluente, à glacie propelli posse, interea dum domi conclusi eramus, quam non possemus deinde liberare.

8.Martij. VIII.Martij perseveravit idem asper aër, Notozephyro flante cum tempestate & nivis procellâ, sic ut versus Arctapeliotem nullam glaciem in mari conspiceremus, unde conijciebamus in Arctapeliote nobis opposito liberum esse mare.

9.Martij. IX.Martij fuit etiam rigidus aër, minus tamen quàm superioribus duobus diebus, minoreque nivis procellâ, adeo ut longius adhuc conspiceremus apertam aquam versus Arctapeliotem: sed versus Tartariam glacies adhuc apparebat in Tartarico seu glaciali mari, coniecturam facientes non procul inde abesse. Nam sereno cælo, sæpe nobis persuadebamus continentem conspicere, & alter alteri ostendebamus versus Austrum & Euronotum, nostris ædibus oppositos, veluti montanam regionem, ut communiter regiones apparent, quando æqualiter conspici possunt.

10.Martij. X.Martij flante Aparctia, serenus fuit aër, itaque ædes repurgavimus, & nive suffosâ egressi conspeximus mare late apertũ, sic ut alter alteri diceret si navis libera esset possemus velificationem experiri, scaphâ autem aut lintre incommodum fuisset, propter ingens frigus quod istic perseverabat. Circa vesperam, nos novem ad navem profecti sumus, traham ducentes ad ligna ex ea efferenda, absumptis ijs quæ domi habebamus, navemque in glacie adhuc firmiter inhærentem reperimus.

11.Martij. XI.Martij Arctapeliote spirante, frigidus fuit aër, cælumque serenum & Sole illustratum: propterea eius altitudinem dimensi sumus Astrolabio, & reperimus eius elevationem esse supra Horizontem 10.graduum 19.minutorum, eius autem declinationem 3.graduum 41.scrupulorum, qui cum elevatione coniuncti, 14.graduum numerum, ut ante, explent: ij dempti de 90.manet Poli altitudo 76.graduum. Deinde nos 12.traham ducentes profecti sumus ad ligna petenda ex consueto loco: sed magis ac magis difficili labore, quia in dies debiliores fiebamus. Domum cum lignis regressi, & plane defatigati, à Nauclero petijmus nostrum vini demensum, quod obtinuimus, eoque refecti & roborati, in posterum proniores fuimus ad subeundos labores, qui pæne intolerabiles erant, nisi necessitas vires suffecisset: imo sæpe alter alteri dicebat, si ligna essent ære comparanda, nostris menstruis stipendijs illa libenter redempturos.

12.Martij. XII.Martij Arctapeliote flante asper fuit aër, & denuo glacies vehementer influere cæpit quæ à Notozephyro fuerat propulsa, tantumque frigus exortum est, ut totâ hieme maius non senserimus.

13.Martij. XIII. Martij, eodem vento perseverante, idem rigidus permansit aër cum nivis procella, & glacies vehementer influens, magno cum fragore collidebatur, & in alteram insurgebat, ut etiam terrorem audientibus incuteret.

14.Martij. XIIII.Impetuose flante Cæcia, eodémque perseverante rigido aëre, mare denuo prorsus concretum fuit, & asperrimum frigus exortum, ut nostri ægri, qui mitiore aura nimis maturè sese aëri exposuerant, rursus affligerentur.

15.Martij. XV.Martij Aparctias serenitatem attulit, quo die, ædes denuo aperuimus, ut egredi liceret, frigus tamen in dies augebatur & asperius fiebat.

16.Martij. XVI.Eodem Aparctia spirante, serenum valde fuit cælum, sed insigniter asperum & frigidum, nobisque magis molestum, quia cum pæne iam ab eo liberatos esse arbitraremur, adeo rigide nos denuo invadebat.

17.Martij. XVII.Eadem serenitas spirante eodem vento perseveravit, simul etiam eadem frigoris asperitas, sic ut istâ perseverantiâ magnopere affligeremur, ignorantes quid nobis adhuc succederet, cùm intolerabile esset frigus.

18.Martij. XVIII,Martij, non modo eadem aëris intemperies & frigoris asperitas perseveravit, sed insuper ingens nivis procella ab Arctapeliote exorta est, quæ ædes penitus obstruxit, ut nec egredi liceret, nec fere prospicere.

19.Martij. XIX.Martij, ijsdem vento, aëre, frigore, perseverantibus, glacies magis ac magis comprimebatur & stipabatur cum magno fragore, quem etiam ex ædibus exaudire poteramus, illibenter tamen.

20.Martij. XX,Cùm ventus & aër in eodem statu permanerent, & ligna deficere inciperent, consilij expertes eramus, sine lignis enim frigore nobis erat pereundum, vires autem erant adeo exhaustæ, ut ad ea inferenda vix sufficerent.

21.Martij. XXI.Martij tranquillitate exorta, frigus tamen Aparctia flante, non est imminutum. Sed cum Sol eò die Arietis signum ingrederetur in AEquatore, meridie eius altitudinem dimensi sumus, quam 14.graduum supra Horizontem esse comperimus: cúmque esset in media linea, ab utroque Tropico æqualiter distans, nulla fuit declinatio versus Austrum, vel Aparctiam: ea altitudine demptâ de 90.manet Poli altitudo 76.graduum. Eo die ex nostris pileis soccos confecimus, quos supra caligas induximus, in calceis enim diutius persistere nequibamus, propter ingens frigus, quia ut cornu induruerant, atque vehem ligni summo cum labore & difficultate adveximus, asperrimo frigore nos persequente, tanquam Martius nobis vale dicere vellet: ea tamen cogitatio nos consolabatur,

tur, frigus, licet asperrimum, perpetuo non duraturum, sed tandem semel desiturum.

XXII. Martij serenus tranquillusque fuit aër, Arctapeliote spirante sed perseverante frigore, eam ob causam nonnulli, cum adeo molestum esset & difficile ligna advehere, auctores fuerunt, ut semel in die ignem è carbonibus strueremus. 22. Martij.

XXIII. Arctapeliote flante rigidissimus fuit aër & asperrimum frigus, ut luculentiorem ignem struere necesse esset, quàm prius: frigus enim longè asperius erat solito, geluque densum inhæsit & contignationi & parietibus interioribus ædium. 23. Martij.

XXIIII. Aparctias eundem aërem & gelu attulit cum ingenti nivis procellâ, ut penitus in ædibus concluderemur, atque carbones, è quibus ante incommodum senseramus, nobis valde utiles experiremur. 24. Martij.

XXV. Licet Zephyrus spiraret, neque aëris neque frigoris rigor imminutus est, sed eodem statu permansit, quapropter animum quodammodo despondebamus. 25. Martij.

XXVI. Martij serenus & tranquillus fuit aër eodem Zephyro spirante. Eam ob causam, aperuimus nobis viam extra ædes & prodijmus, lignorúmque vehem adveximus, quia per asperrimum illud frigus consumpseramus quæ habebamus. 26. Martij.

XXVII. Martij, eadem aëris serenitate & tranquillitate perseverante, glacies denuo cœpit effluere, ut aqua appareret, nihilominus navis gelu adstricta manebat. 27. Martij.

XXVIII. Martij eadem serenitate perseverante, licet Notozephyrus flaret, glacies validius propulsa est, & æquor magis aperiebatur: nostrûmque sex ad navem profecti, ad observandum quo in statu esset, illam in pristino quidem statu comperimus, sed ursos in ea multa conturbasse animadvertimus. 28. Martij.

XXIX. Martij Arctapeliotes, tametsi eandem serenitatem conservaret, glaciem nihilominus denuo influere compulit. Eodémque die traham lignis onustam adhuc intulimus, licet indies molestius & difficilius nobis esset, ob debilitatem. 29. Martij.

XXX. Martij perseverante serenitate & Apeliote flante, glacies valde influebat. A meridie bini ursi secundum ædes prætereuntes versus navem profecti sunt, nobis relictis. 30. Martij.

XXXI. Eadem aëris serenitas constans fuit, Arctapeliote flante, qui in dies maiorem glaciei quantitatem inferebat, sic ut fragmenta in invicem illisa, magnorum montium instar adsurgerent. 31. Martij.

APRILIS 1597.

I. Aprilis Apeliote vehementer flante, eadem serenitas perstitit, sed idem frigus adferens, quocirca è carbonibus ignem struximus, quandoquidem ligna inferre nimis molestum esset. 1. Aprilis.

II. Aprilis Arctapeliote spirante, tranquillus & serenus aër fuit, eam ob causam Solis altitudinem dimensi sumus, quam 18. graduum 40. scrupulorum supra Horizontem esse comperimus, declinationem verò 4. graduum & 40. scrupulorum, quibus de elevatione detractis, manent 14. gradus, qui de 90. adempti, Poli altitudinem 76. graduum efficiunt. 2. Aprilis.

III. Aprilis, eodem vento perseverante simul cum serenitate & tranquillitate, clavam confecimus ad globum impellendum, ut membra exercitio agiliora redderemus, in quam rem omnia experiebamur. 3. Aprilis.

IIII. Serenum etiam fuit cælum, sed inconstans ventus. Quo die omnes simul ad navem profecti, anchoræ adnexum funem laxantes ex receptaculo eduximus, ut si forte navis à glacie solveretur, aut fluitare inciperet, assurgere posset. 4. Aprilis.

V. Aprilis Arctapeliotes vehemens denuo magnam aëris Intemperiem advexit, & vehementer glaciem impulit, ut altè supra invicem assurgeret, & navem magis comprimeret, & arctius stiparet quam antea. 5. Aprilis.

VI. Aprilis idem rigidus aër perseveravit Arctozephyro vehementer flante. Nocte advenientem ursum versus ædes traijcere globo parabamus, sed cum humidus esset aër atque pulvis madidus, ignem concipere nequivit. Ursus verò descendens per gradus impavidus ædes ingredi nitebatur: nauclero tamē fores claudente, quibus præ festinatione & timiditate pessulum obducere non potuit. Ursus autem conspiciens ædes esse clausas, abijt. Duas deinde post horas ad ædes redijt, easque circumiens, atque tandem conscendens adeo trucem clamorem edidit, ut horrendum esset auditu, postremum ad caminum accedens tantâ vi revellere cœpit, ut disiecturum arbitraremur, velumque quo caminus cinctus erat, dilaceravit: cum verò nox esset, propter obscuritatem illi non restitimus. Tandem, nobis derelictis, recessit. 6. Aprilis.

VII. Aprilis Notozephyro flante, rigidus adhuc fuit aer, & armis nostris atque duplicibus sclopis expeditis, ursum præstolabamur, sed non advenit. Tum conscensis ædibus, observavimus quantis viribus ursus vela disrupisset adeo firmiter inhærentia. 7. Aprilis.

VIII. Aprilis eisdem aëre & vento perseverantibus, glacies denuo diffluxit, & apertum est mare, unde ut sæpe antea, spes concepta, nos semel ex tam molesto loco digressuros. 8. Aprilis.

IX. Aprilis serenus fuit aër, sed sub vesperam, magna fuit eius intemperies, eodem tamen vento perseverante, ut magis ac magis mare aperiretur, atq; magna lætitia afficeremur, Deo gratia agentes, quod nos à præterito frigore, & rigida intolerabilique hieme nos liberasset, sperantes brevi benignum egressum nobis concessurum. 9. Aprilis.

10. Aprilis x. Aprilis rigidus fuit aër, Arctapeliote magnam tempestatem excitante, & nivis ingentem procellam, unde glacies quæ diffluxerat, rursum adfluens, totum mare complevit.

11. Aprilis xi. Aprilis, serenum fuit cælum, vento validè assurgente ex Arctapeliote, quapropter glaciei fragmenta in dies supra invicem propellebantur & in altum adsurgebant.

12. Aprilis xii. Serenum etiam fuit cælum, Arctapeliote nihilominus valide flante, ut præcedentibus duobus diebus, atque glaciei fragmenta supra invicem attollebantur instar montium, sic ut navem in ambitu altius & firmius cingerent, quàm antea.

13. Aprilis xiii. Spirante Aparctia, serenus & tranquillus fuit aër: atque calceos ex pileis confectos inducentes (ex quibus magnam utilitatem sensimus) traha advreximus ligna in ædes.

14. Aprilis xiiii. Aprilis, sereno perseverante aëre, licet Zephyrus flaret, glaciei montes præalti ita navem undique cinxerunt, ut aspectu horrendum esset, & valde mirum eam in fragmenta non comminui.

15. Aprilis xv. Aparctia flante serenum & tranquillum fuit cælum. Quo die nostrûm septem ad navem profecti sumus, observaturi quo in statu esset, eam in eodē quo ante reperimus. Nobis redeuntib. occurrit ingens ursus, cui ad resistēdum nos comparavimus, sed id animadvertens, cessit. Profecti autem ad locū è quo advenerat, observavimus an antrum aliquod istic esset, atque magnam cryptam in glacie conspeximus ad humanam altitudinem profundam in ingressu angustam, interius valde amplam, in quam nostris sarissis immissis, periculum facere voluimus an alia belua in ea lateret: sed nihil inesse videntes, nostrum unus cryptam ingressus est, non tamen altè descendit quia nimis horribilis aspectu erat. Inde maris oram legentes, glaciem observavimus tam alte supra invicem cōgestam sub Martij finem & Aprilis initium, ut integræ urbes cum suis turribus & propugnaculis ex glacie constructæ viderentur.

16. Aprilis xvi. Aprilis, flante Arctozephyro, rigidus aër glaciem aliquantulum comminuere cæpit.

17. Aprilis xvii. Aprilis, Zephyrus serenum aërem attulit, eam ob causam nostrûm septem ad Navem profecti sumus, ad quam pervenientes, apertam aquam in mari conspeximus, ideo per glaciei aggeres & montes quam commodè potuimus iter facientes, ad aquam pervenimus, quæ toto semestri aut septē mensium spatio nobis visa nō fuerat.

Observavimus in aquâ parvam avem natantem, quæ nobis conspectis, se mersit. Id fuit nobis augurium magis apertum esse mare quàm ante, & iam tempus adventare, quo glacies dissolvenda esset.

18. Aprilis xviii. Eodem vento & aëre perseverantibus, Solis altitudinem dimensi sumus, quam comperimus xxv. graduum & 10. scrupulorū esse: eius declinatio fuit 11. graduum 12. scrupulorū, quibus deductis de repertâ altitudine, restant gradus 13. scrupuli 58. illis demptis de 90. Poli altitudo reperitur 76. graduum binorum scrupulorum. Deinde nos viudecim traham lignis onustam ad ædes pertraximus. Nocte ursus nostras ædes conscendit, sed nobis omnibus egressis cum armis varij generis, audito strepitu profugit.

19. Aprilis xix. Aprilis Aparctias serenitatem induxit. Eo die nostrûm quinque balneum ingressi sumus, quo magnopere fuimus recreati, & vires restauratæ.

20. Aprilis xx. Aprilis eadem serenitate perdurante, licet Zephyrus spiraret, nostrûm quinque profecti ad locum unde ligna petebamus, lebetem cum alijs necessarijs super traham perduximus ad interulas eluendas, quia istic ligna in promptu erant, & abundantia opus erat, ad glaciem liquandam, & aquam calefaciendam, deinde ad interulas denuo reficcandas, minus enim difficile & laboriosum arbitrabamur id agere, quàm ligna ad ædes pertrahere.

21. 22. Aprilis. xxi. Aprilis, Apeliote spirante, serenum etiam fuit cælum, atque etiam die illum sequente, sub vesperam tamē ad Aparctiam conversus est ventus.

23. April. xxiii. Amœnus fuit aër & serenus, vehementer flante Apeliote; sequens etiam dies illi fuit similis, Apeliote spirante.

25. April. xxv. Aprilis, iisdem vento & aëre perseverantibus, ad ædes accessit Ursus qui sclopo petitus, profugit, quem sequutus est alter qui istic vicinus erat.

26. 27. Aprilis. xxvi. & xxvii. Aprilis serenus etiam fuit aër, sed Arctapeliotes magnam tempestatem excitavit.

28. Aprilis xxviii. Aprilis sereno & tranquillo cælo & Aparctia spirante, denuo sumpta est Solis altitudo, quæ reperta est 28. graduum esse & 8. scrupulorum, eius declinatio autem 14. graduum 8. scrupulorum: his de 90. subductis, manet Poli elevatio 76. graduum.

29. Aprilis xxix. Aprilis eadem aura & tranquillitate perseverantibus, exercuimus nos globi & teli iactu ab ædibus usque ad navem, & inde ad ædes, ut artus robustiores & agiliores redderemus.

30. Aprilis xxx. Amœnus serenusque fuit dies & tranquillus lucidusque aër, Notozephyro spirante, & nocte versus Aparctiam, cum Sol esset in summâ sua exaltatione, rectè supra Horizōtem eum adhuc conspicere potuimus, sic ut tum nocte & die Sol nobis splenderet.

MAIUS 1597.

1. Maij. Primus dies Maij serenus fuit, spirante Zephyro: quidquid carnium reliquum fuit (à quibus longo tempore abstinueramus) eo die percoctum est, & cum essent adhuc incorruptæ, non minus sapidæ fuerunt quàm initio, in eo vitium fuit, quòd magis non abundaremus.

II. Maij inamœnus fuit aër, magnâ tempestate à Notozephyro exortâ, sic ut mare magnâ ex parte à glacie liberaretur, quapropter desiderium nos incessere incipiebat istinc discedendi: quia satis diu ibi hæseramus. 2. Maij.

III. Maij eodem Notozephyro flante, rigidus permansit aër, ut glacies omnino propelleretur, navem tamen firmiter adhuc ambiebat. Vt vero validiores cibi, quales sunt carnes & avena munda, atque alij qui nobis robur addebant, deficiebant, robustos autem nos esse oporteret, ad ferendos labores qui discessuris subeundi erant, Nauclerus quidquid restabat suillæ salitæ in parvo dolio inter nos divisit, ut singuli in diem binas uncias acciperent, per tres hebdomadas continuas, ante quam absumerentur. 3. Maij.

IIII. Maij, licet idem Notozephyrus flaret, commoda fuit aëris temperies, Eo die nos quinque ad navem profecti, eam reperimus maiore glaciei copia obseptam, quàm antea: nam medio Martio 75. duntaxat passus ab aperta aqua aberat, nunc autem pænè quingentis passibus glaciei præaltis tumulis instar montium septa, ut ingenti metu corriperemur, qua ratione scapham & lintrem usque ad aquam pertraheremus, cùm inde essemus discessuri. Noctu ursus denuo ad ædes accessit, sed audito nostro motu illico se in fugam conijcere animadvertit nostrûm unus qui è camino prospiciebat, sic ut illis metus iniectus esse videretur nec adeò audacter nostras ædes accederent quemadmodum antehàc. 4. Maij.

V. Maij tranquillo licet aëre Apeliotes nivem attulit. Vespere autem & noctu Solem aliquantulum supra Horizontem conspeximus, cùm esset in summâ suâ declivitate. 5. Maij.

VI. Maij serenus quidem fuit aër, sed Notozephyrus vehementer flavit, ut tam versus Orientem, quàm versus Occidentem Mare apertum conspiceremus, sic ut omnes gaudio afficeremur, valde desiderantes domum regredi. 6. Maij.

VII. Maij, rigidus fuit aër, densam nivem Aparctia advehente, ut denuo in ædibus obsideremur, quapropter nautæ tædio affecti, dicebant, hæc aëris intemperies nunquam nos deseret: itaque præstabit, ut cum apertum erit mare, illico hinc nos subducamus. 7. Maij.

VIII. Maij, Zephyrus rigidam auram attulit cum densissimâ nive. Itaque nonnulli nautæ, consilium inire ceperunt de compellando Nauclero, iam plus quam tempus esse ut inde discederent: sed nemo audebat apud Nauclerum hæc verba proloqui, quandoquidem eum dicentem audiverant, se differre velle in finem Iunij, mediam videlicet æstatem, si forte navis tum a glacie liberari posset. 8. Maij.

IX. Maij serenum fuit cælum & satis commoda aëris temperies, spirante Arctapeliote, propterea maior inter nautas incendebatur cupido in dies istinc discendendi, & statuerunt, ut *Willelmus B. f.* rogaretur, persuadere niteretur Nauclero, istinc discedendum esse: sed ille lenitate quadam eos compescuit, & à sententia dimovit, propositis rationibus, quas nautæ libenter admiserunt. 9. Maij.

X. Maij Arctozephyro flante serenum fuit cælum. Nocte, Sole in Aquilone in infimâ declivitate existente, secundum vulgarem quadrantem, eius altitudinem dimensi sumus, quam trium graduum 45. scrupulorum esse comperimus, declinationem verò 17. graduum 45. minutorum, à quo deducta altitudo prædicta, remanent 14. gradus, ij dempti de 90. manet Poli altitudo 76. graduum. 10. Maij.

XI. Maij Notozephyrus serenitatem aëris attulit, & mare prorsus apertum fuit, ideo nautæ denuo *Willelmum Bernardi f.* monuerunt, ut Nauclero indicaret ipsorum intentionem, quod primâ occasione se facturum pollicitus. 11. Maij.

XII. Maij rigidus fuit aër cum tempestate ex Arctozephyro, ut maris apertura in dies augeretur, ex qua re non mediocrem spem concepimus. 12. Maij.

XIII. Tranquillitas aëris licet esset, ex Arctozephyro tamen densa nix cecidit. 13. Maij.

XIIII. Maij, sereno cælo & Aparctia flante, postremam vehem lignorum in ædes intulimus, soccos ex galeris confectos pedibus inductos retinentes, quos nobis utiles senriebamus. Quo die nostri nautæ *Willelmum B.F.* monuerunt ut Nauclero indicaret, rationes esse quærendas, ut domum reverti possemus, quod pollicitus est postridie se facturum. 14. Maij.

XV. Cum serenum esset cælum spirante Zephyro, dimissi sunt extra ædes omnes nautæ, ut se exercerent globi iactu, cursu, saltu, atque alijs rationibus, ad artus refocillandos & roborandos. Interea *Willelmus B.F.* Nauclero indicavit nautarum mentem, qui respondit, duntaxat ad finem eius mensis dilatum iri profectionem, tum si nulla ratio appareret navem liberari posse, omnia fore apparanda ut cum scapha & lintre discederent. 15. Maij.

XVI. Maij eodem Zephyro flante valde serenum fuit cælum, lætatique sunt nautæ responso Naucleri, licet dies indictus nimis serus videretur, quandoquidē multo tempore opus esset, ad cōcinnandum scapham & lintrem, ut apta essent ad navigandum in mari, propterea quibusdam consultum videbatur scapham serra secare, ad eam longiorem faciendam, quod licet videretur commodum, incommoditatem tamen attulisset, quià quo commodior fuisset scapha ad velificandum, tanto incommodior fuisset ad illam supra glaciem trahendam, ut postea nos facere oportuit. 16. Maij.

XVII. & XVIII. Maij Zephyro spirante, serenum etiam fuit cælum, cæpimusque dies numerare, quando pararemus nos ad discessum. 17. 18. Maij.

XIX. Maij serenus & tranquillus fuit aër Apeliote flante, & nostrûm quatuor ad navem & maris oram profecti, ad observandum quâ commodiore viâ, lintres in aquam pertrahere possemus. 19. Maij.

20. Maij. xx. Maij rigidus fuit aër Arctapeliote flante, qui glaciem denuo valide influere fecit. Meridie Nauclerum compellantes, diximus iam tempus esse, ut omnia adpararemus, ne, si commoda occasio discedendi daretur, quid remorari nos posset: respondit ille perinde sibi caram esse suam vitam, atque nobis nostram, nos tamen inciperemus vestes aliaque necessaria ad iter comparare, & vestes resarcire, ne huiusmodi postea nos remorarentur, & sic usque ad Maij finem expectaremus, deinde scapham & lintrem omnibus ad iter necessarijs instrueremus.

21. Maij. xxi. Serenum quidem fuit cælum, sed Arctapeliotes adhuc glaciem influere faciebat, nihilominus accingebamus nos ad rerum nostro corpori necessariarum comparationem, ne quid postea nobis esset in morâ.

22. Maij. xxii. Serenus & tranquillus fuit aër Arctozephyro flante: atque propter lignorum penuriam, ligneum murũ ad ædium vestibulum confregimus ad ignem struendum.

23. Maij. xxiii. Maij Subsolano flante, amœnus & serenus fuit aër, propterea quidam è nostris suas interulas lotum iverunt ad locum ubi congesta erant ligna.

24. Maij. xxiiii. Notapeliote flante amœnus & serenus etiam fuit aër: pauca tamen fuit aperta aqua.

25. Maij. xxv. Amœno serenoque aëre, & Subsolano spirante, Solis altitudinem dimensi sumus, qui elevatus erat supra Horizontem 34. gradibus 46. scrupulis, eius declinatio 20. graduum 46. scrupulorum, qui ab elevatione deducti 14. gradus conficiunt, iis de 90. detractis, manet poli altitudo 76. graduum.

26. Maij. xxvi. Amœnum serenumque fuit cælum, sed ab Arctapeliote magna tempestas exorta, quæ glaciem denuo densam coëgit.

27. Maij. xxvii. Maij Arctapeliotes vehementer flans rigidam intulit aëris intemperiem, & glacies valide influebat, eam ob causam interpellatione nautarum concessit Nauclerus, ut primo quoque tempore adparatus fieret ad istinc discedendum.

28. Maij. xxviii. Mane rigidus fuit aër Arctozephyro flante: à meridie autem remissior, & nostrûm 7. ad navem profecti sumus, allaturi quidquid necessarium erat ad lintrem & scapham instruendam, videlicet vetustum dolonem ad vela conficienda scaphæ & lintri idonea, præterea asseres parietibus detractos, funes, & plura alia.

Vt nos comparavimus ad lintrem reparandum, quo domum repetere possemus: sed cum ob diuturnum frigus & penuriam, prorsus emaciati & imbecilles redditi essemus, opus relinquendũ fuit, lintrem enim ad ædes perducere nequivimus, ut istic repararemus, quapropter animũ fere despõdebamus, arbitrati (licet molesta hiems iam præteriisset) nihilominus istic esse hærendũ & pereundum, quia propter imbecillitatem labores tolerare non poteramus.



xxix. Maij mane Zephyro spirante commodus satis fuit aër, & nostrûm decem profecti ut lintrem apud ædes pertraheremus ad eum reparandum, sed eum reperimus profunde sub nive sepultum, quem magno cum labore effodimus: eum ex nive eductum cùm ad ædes pertrahere tentamus, non potuimus, propter debilitatem & inaciem, quam ob causam prorsus animo deficiebamus, existimantes nos in labore perituros: sed Nauclerus cohortabatur nos ut aliquid supra vires tentaremus, quia nostra salus & vita ex eo dependebat: nam nisi lintrem pertraheremus & repararemus, hærendum istic nobis fere tanquam *Nova Zemble* civibus, & istic esse sepeliendos. Non deerat tamen nobis animus, sed vires deficiebant, propterea tunc nobis ab opere desistendum fuit, sed non sine animi dolore, cum cogitaremus quid faciendum nobis esset. 29. Maij.

Delineatio reparationis scaphæ, ut commodior esset ad navigandum in mari cum id aperiretur, quia longum nobis iter, videlicet trecentorum milliarium secundum littus erat nobis emetiendum apertâ scaphâ, ante quam perveniremus ad proximum locum ab hominibus habitatum, ultra album mare in Russiam.



Postquam ita defatigati & animū despondentes quodammodo, domum à meridie redijssemus, paulo post animum resumentes, cohortati sumus nos mutuo, ut scapham, quæ apud ædes inversa erat, converteremus, quam reparare cœpimus, ut nobis in mari navigantib. utilior esse posset: animo enim reputabamus longū & tædiosum iter nobis esse faciendū, in quo magnæ difficultates nobis objicerentur: propterea licet optimas quas poteramus rationes iniremus, in omnibus tamen rebus nobis non satisfaciebamus. Vt vero in opere eramus, truculentus Vrsus ad nos venit, sed nos ad ædes concedentes, eum istic præstolabamur ad singulas tres ianuas sclopis armati, & alius supra caminum cum duplici sclopo. Is tamen imperterritus ad nos veniebat, magis quàm unquam alius: nam pervenit usque ad gradus unius ianuæ, & qui in ea ianuâ erat illum non conspiciebat, quia faciem ad aliam ianuam habebat obversam: sed qui in ædibus erant videntes ursum illi imminētem, valde territi vociferati sunt, ita sese convertens ursum conspectum globo petijt territus, eumque medium trajecit, inde ursus profugit: Et sane parum absfuit quin periret, quandoquidem ursus illi iam imminebat ante quam animadverteret, & si fefellisset eum sclopus (ut interdum cōtingit) haud dubiè perierat, & ursus forsitan ædes ingressus esset. Vrsus vulneratus profugiens haud procul ab ædibus concidit, statim omnes sclopis & alijs armis instructi eum persequuti sumus & porro mactavimus, deinde ejus alvum aperientes, phocæ frusta non pridem devoratæ pellem & pilos adhuc retinentia in ea invenimus.

30. Maij. xxx. Maij satis commodus fuit aër, non valde frigidus, sed obscurus, flante Zephyro, atque omnes qui ad fabricam erant apti, scapham apparabāt, alij in ædibus vela concinnabant & reliqua ad iter necessaria: interea dum qui foris erant ad scaphæ fabricam erant occupati, advenit ursus, cuius causa opus deseruerunt, & eum trajecerunt: deinde asseribus ab ædibus demptis scapham celsiorem fecimus, atque in hunc modum opus urgebamus, quia omnes erant alacres in labore iam diu exoptato, etiam supra vires.

31. Maij. xxxi. Maij serenus fuit, sed aër frigidior paullo solito, flante Notozephyro, qui glaciem pellebat; continenter verò in opere versantibus, advenit adhuc ursus, quasi adoraretur nos discessum parare, & ante degustare nos vellent: quia iam tribus continuis diebus nos ferociter adgrediebantur: domum enim repetentes relicto opere, insequutus est, nos autem illum exspectantes tribus sclopis eodem momento explosis eum occidimus, uno è camino reliquis duobus ex ianuâ explodentes. Sed eius mors nobis magis noxia fuit, quàm vita: nam illo exenterato, iecur eius coctum manducavimus, quod boni quidem saporis fuit: sed omnes qui edimus in morbum incidimus, præsertim tres, quos morituros arbitrati sumus, nā à capite ad pedes epidermis decidebat; sanitati tamen restituti fuerunt, cuius rei causa gratias Deo egimus: nā si tres viros hac ratione amisissemus, istinc forte discedere nequivissemus, quia ob paucitatem longè infirmiores fuissemus ad labores tolerandos.

IVNIVS 1597.

1. Iunij. Prima Iunij licet amœnus esset aër, quia tamen maxima pars nostrorum nautarum in morbum inciderat ob manducationem iecoris ursini, ut retulimus, eo die nullam operam præstare potuerunt in reparanda scapha: cumque olla adhuc igni imposita esset, in qua iecur inerat, Naucierus eam extra ædes eiecit, Deinde nostrûm quatuor validiores profecti sunt ad navem, ad observandum numquid adhuc inesset nobis utile futurum ad navigationem, atque repererunt dolium piscibus *Geep* nuncupatis similibus fere anguillis, plenū qui distributi sunt, inter nautas, ut singuli bini acciperent & probe nobis sapuerunt.

2. Iunij. ii. Iunij matutino tempore serenum fuit cælum, Notozephyro spirāte, & nos sex versus mare profecti, ad observandum, quâ potissimum viâ lintrem & scapham commodius in aquam traduceremus, quia glacies ubique adeo alta erat & supra invicem protrusa, ut impossibile videretur lintrem per eam traducere: iudicauimus tamen & commodiorem & breviorem viam esse, rectâ à naui ad aquam apertam esse, licet prorsus inæqualis & montosa esset, & magno labore nobis esset complananda: sed propter brevitatem, à nobis commodior est æstimata.

3. Iunij. iii. Iunij, flante Zephyro, clarus Solis splendor fuit, & convalueramus aliquantulum à morbo, robustioresque eramus facti, sic ut sedulo in reparandâ scaphâ laboraremus, vt sexto post die eam paratam haberemus. Sub vesperam, Zephyro vehementer flante aqua prorsus aperta fuit, unde magnam spem concepimus, nostram liberationem brevi successuram, ut semel ex molesto illo angulo discederemus.

4. Iunij. iiii. Iunij fuit amœnus, serenusque aër cū Solis splendore, nec valde frigidus: atque Sole fere in Notapeliote flante nos ii. profecti sumus ad nostrum lintrē qui in littore loco arena & sparto marino obsito hærebat, cumque ad navem pertraximus minore labore & difficultate, quàm cùm ab opere desistere nos oportuit. Occasionem autem eam esse iudicavimus, quod nix nūc firmior & magis compressa esset, & fortasse etiam maiore animo opus adgrederemur, animadvertentes aquam apertam esse, & quod speraremus nos istinc discessuros. Itaque tres apud lintrēm sunt relicti, qui eum repararent, vt vero linter halecibus deferendis inservierat, & puppem habebat acuminatam, eam aliquantulum resecarunt, & planam fecerunt, ut commodior esset ad navigationem in mari, aliquātulum etiam altiorem illum fabricarunt, & quâ potuerunt commodiore formâ repararunt. Reliqui nautæ interea in ædibus omnia ad navigationem necessaria apparabāt, & binas trahas annonâ & alia suppellectile onustas ex ædibus ad navem pertraxerunt, quæ quasi medio itinere erat inter ædes & apertam aquam, ut deinde breviore via ad aquam perducere possent, cum essemus discessuri. Omnis autem labor eo levior videbatur, quod speraremus ex eâ desertâ, silvestri, rigida molestaque regione nos discessuros.

5. Iunij. v. Iunij rigidus fuit aër, grandoque densa & nix Zephyro flantè, qui mare aperiebat, propterea foris nihil agere potuimus, sed intra ædes omnia apparavimus, vela, remos, malos, antennas, clavum, & quæcumque nobis erant necessaria.

6. Iunij. vi. Iunij mane commodus fuit aër Arctapeliote flante, ideo cum fabris lignarijs ad navem profecti sumus, ad lintrem absolvendum, atque simul ad navem pertraximus binas trahas onustas tum annonâ, tum mercibus, & aliis quæ nobiscum assumenda putabamus. Postea suscitata est magna tempestas ex Notozephyro permixtâ nive, grandine, & pluviâ, qualem multo tempore non senseramus, ut fabri opus deserere cogerentur, & nobiscum in ædes se recipere, in quibus nec sicco quidem loco esse licuit, quia asseres sustuleramus ad reparanda lintrem & scapham & velum duntaxat prætensum erat. Nix præterea viam replens solvi incipiebat, ut socci ex galeris confecti deferendi essent, & calcei denuo inducendi.

7. Iunij. vii. Iunij Arctapeliote vehementer flante, glaciem denuo influentem conspeximus sed Sole circa Notapelioten versante, lucidus fuit aër, & fabri rursus ad navem profecti ad lintrem absolvendum: nos verò Negotiatorum merces quas adsumere cupiebamus, meliores videlicet & maioris pretij compegimus, easque teximus, ad præservandum ab aqua marina, quandoquidem eas in aperta scapha vehere debebamus.

viii. Iu-

VIII. Iunij fereno aëre, merces quas compegeramus & adparaveramus ad navem pertraximus, lignarij verò fabri lintrem conficiebant, ut fub vefperam pæne abfolveretur. Eodem die nos omnes fcapham ad navem pertraximus aptatis ad fcapulas funibus, quemadmodum in trahis fieri folet, & etiam manibus funibus iniectis, fic ut fcapulis & manibus trahentes, facilius traheremus, præterea alacritas ad laborem vires maiores fufficiebat, ut plus faceremus quam aliàs potuiffemus, quia cùm alacritas, tum fpes, nobis vires augebant. 8. Iunij.

IX. Amœnus etiam fuit aër varijs flantibus ventis, eo die noftras interulas eluimus, & reliquos lineos pannos, ut omnia parata effent, cùm vela facienda, fabri vero erant occupati ad ftatumina conficienda in fcapha & lintre. 9. Iunij.

X. Iunij, quatuor trahas mercibus onuftas in navem intulimus, varius fuit ventus & fub vefperam ad Aparctian converfus. In ædibus autem eramus occupati in omnium rerum apparatu. Vinum etiam quod reftabat in parva dolia infudimus, ad dividendum in utramq; fcapham, tum quia interdum glacie concludi poffemus (quod nobis eventurum fciebamus) tum ut facilius omnia in glacie exponere poffemus, & inferre, prout nobis contingere poffet. 10. Iunij.

XI. Iunij rigidus fuit aër, vehementer flante Circio, ut toto die nihil agere poffemus, atque valdè metuebamus, vt tempeftate glacies navem cingens una cum nave abriperetur (quod contingere potuiffet) cum noftrâ maximâ miferiâ, quia omnis noftra annona & fupellex in navi erat. Dei tamen providentiâ nihil eiufmodi accidit. 11. Iunij.

Delineatio quemadmodum magno cum labore & difficultate viam per glaciem complanavimus fecuribus, ligonibus, marris, & alijs inftrumentis, ad lintres commodius ad aquam pertrahendos, atque ut urfus ex mari in glaciem confcendens ferociter ad nos veniens, pæne unum ex noftris apprehendiffet, nifi ab uno ex noftris fclopo vulneratus fugiffet, & poftea occifus fuiffet.



XII. Iunij fatis commodus fuit aër, ideoque omnes egreffi fumus cum fecuribus, marris & alijs inftrumentis neceffarijs ad complanandam viam, per quam lintres ad aquam pertraheremus, fecundum glaciei tumulos, in quo opere graves labores fuerunt nobis tolerandi, fecando, confringendo, fodiendo & palis eijciendo. Atque cùm maximè ferveret opus, ingens macilentus urfus è mari egreffus ad nos venit, quem ex Tartaria adveniffe opinabamur (quandoquidem ante obfervaveramus 20. aut 30. milliaribus in mari) cumque duplicibus fclopis deftituti effemus, præterquam eo quem nofter Cheirurgus habebat, ego confeftim ad navem properavi unum aut alterum duplicem fclopum allaturus. Vrfus properantem me confpiciens, celeriter me infequutus eft, & forfitan 12. Iunij.

tam assequutus esset, nisi nautæ id animadvertentes, relicto opere statim eum persequuti essent, ursus hoc videns, me relicto, se ad eos obvertit, & dum versus eos progreditur, duplici sclopo à Cheirurgo vulneratus fugit, sed cũ inequalis esset glacies, & elata, non potuit ita fugere, quin nostri eum assequerentur, & sclopo traijcerent, eoque adhuc vivo dentens excusserunt.

13. Iunij. XIII. Iunij amœnus fuit, & Nauclerus comitibus fabris ad navem profectus, lintrem & scapham prorsus appararunt, vt nihil deesset præterquam ad aquam pertraherentur. Ipsi autem conspicientes mare apertũ, & secundũ Zephyrum flantem, ipse ad ædes redijt, atque *Willelmo B.f.* (qui diu æger erat) indicavit, sibi consultum videri, & commoditatem sese nunc offerre ut inde discederent, statutumque nunc communiter fuit inter nautas, ut lintrẽ & scapham ad aquam pertraherent, & in Dei nomine discessum pararent ex *Nova Zembla*. *Willelmus Bernardi f.* ante schedam scripserat & in duplicis sclopi mensura conclusam in camino suspenderat, in qua narratio erat, ut ex Hollandia eo veneramus ad vela facienda versus Sinarum Regnum, & quid nobis eo loco accidisset, & nostras adversitates, ut si forte quis post nos eo appelleret, intelligeret, ut nobis omnia successissent, & necessitatẽ coactos domum illam fabricasse, in quâ decem menses hæsissemus. Vt præterea cum binis lintribus apertis oporteret nos mari committere, & admirabilem navigationem suscipere periculosam admodum, Nauclerus etiam binas epistolas exaravit, quibus maxima pars nostrûm subscripsit: quemadmodum nos istic in continente multo tempore cum summâ molestiâ & incommoditate hæseramus, sperantes navem à glacie expeditam iri, & cum illâ denuo inde discessuros: sed quia illud non contingebat, nave manente firmiter à glacie constrictâ, tempus vero elabi, & alimenta deficere, necessitate coactos ad conservandam nostram vitam, navem deserere nos oportere, & cum lintribus vela facere, committentes nos Dei voluntati. Istarum epistolarum exempla in singulis lintribus fuerunt posita, ut si forte tempestate aliquâ disiungerentur, aut alio aliquo infortunio perirent, in uno tamen servato lintre, inveniretur, qualis fuisset noster discessus. His omnibus transactis, scapham in aquam pertrahentes, hominem in eâ reliquimus, deinde lintrem, præterea penè 11. trahas onustas cum annonâ & vino quæ nobis restabant, tum Negotiatorum mercibus, summam diligentiam adhibentes, ut quantum possemus salva præstaremus videlicet 6. fasces nobilioris panni lanei, cistam panno lineo plenam, duos fasces holoserici panni, binas capsulas in qua pecuniæ, duo dolia armis plena, & nautarum supellectile, uti interulis & alijs: 13. dolia pane plena, dolium caseo plenum, dimidiam suem, duo doliola olei, sex vini, bina aceti, & promiscuam nautarum supellectilem atque vestes, & alia pleraque, quæ in cumulum coniecta, nemo sibi persuadere potuisset, in lintres recipi posse. His omnibus in lintres comportatis, profecti domum, *Willelmum B.f.* supra traham ad aquam ubi lintres erant perduximus, deinde *Nicolaum Andreæ f.* utrumque ægrum: atque in hunc modum in lintres sumus ingressi divisim in singulos lintres unum ægrum recipientes. Tum Nauclerus utrumque lintrem coniungi iussit, & subsignandam dedit nobis utramque epistolam quam exaraverat, ut ante dictum est, cuius exemplar hoc est.

Quemadmodum nos in hodiernum usque diem expectavimus, sperantes navem à glacie liberatum iri, nunc autem exigua aut nulla est spes id fieri posse, quia firmiter ab ea cincta est, quandoquidem sub Martij finem aut Aprilis initium glacies succrevit alia supra aliam propulsa, ut rationem ineamus quo modo scapham & lintrem ad aquam pertrahere poterimus, & ubi commodum locum inveniemus. Atque ut penè impossibile videtur, ut navis à glacie libera fiat, propterea ego cum VVillelmo B.F. *supremo navis Gubernatore, & alijs aliquo officio praditis, caterisque rem consultandam proposuimus, ad nos, cum aliquot mercibus Mercatorum conservandos, nec commodiorem rationem inire potuimus, quam nostram scapham & lintrem reparare, & omnia nobis necessaria, quantum fieri posset comparare, ut parati, nullum commodum tempus, quod Deus nobis concedere posset, negligamus, quia commodiore tempore uti debemus, alioqui frigore & necessitate perituri, quod adhuc verendum est ne contingat, quandoquidem terni aut quaterni nostrûm sunt, ijque primarij, à quibus nullum auxilium expectare possumus adeo frigore & incommoditate sunt exhausti, ut ne semiviri quidem robur habeant: atque verendum est quod non commodius se habebunt res, tum propter longum iter quod nobis emetiendum est, tum quod panis non sit superaturus finem Augusti, & facile posse evenire, si nobis sinistri aliquid in navigatione succedat, ut ante id tempus ad nullam regionem appellere possimus, in quâ aliquid comparare queamus, licet ab hac horâ omnia tentemus: propterea consultum nobis videtur diutius non esse expectandum, quia natura nos docet nostram conservationem procurare. Hac in eundum modum conclusa, & à nobis omnibus subsignata prima Iunij 1597. Cum igitur hodierno die parati simus, & Zephyrum commode flantem nacti, atque mare apertum, nos in Dei nomine composuimus ad discessum (quia navis adhuc firmiter glacie conclusa & sepsa haret) & licet in nostro apparatu, multos vehementes ventos ex Zephyro, Aparctia, & Arctozephyro habuerimus, nihilominus nullam mutationem in meliorem statum animadvertentes, eam tandem deseruimus Datum 13 Iunij 1597. & subsignarunt*

Iacobus Heemskerck.	*Magister Ioannes Vos.*	*Petrus Cornelij f.*
Willelmus Bernardi f.	*Leonardus Henrici f.*	*Ianus Reyneri f.*
Petrus Petri f. Vos.	*Laurentius Willelmi f.*	*Iacobus Iani f. Sterrenburch.*
Gerardus de Veer.	*Iacobus Iani f. Schiedam.*	

Delineatio

Delineatio & descriptio ut lintres in aquam pertraxerimus, & trabas mercibus onustas, atque annonã, & alia, tum Willel. B f. & Nicol. And. f. *utrumque agrum ad lintres perduximus, atque ut in lintribus pari fere numero divisi essemus, atque ita nos Deo commendantes mari nos commisimus magno domũ redeundi desiderio, Deo gratias agentes, diem advenisse quo ex silvestri deserta, rigidâ at frigidâ illâ regione nos subduceremus.*



Deinde, nos Dei misericordiæ commendantes, Coro flante, & mari commode aperto, ad vela facienda nos comparavimus.

XIIII. Iunij mane, Sole in Apeliote existente, à *Novâ Zemblâ* & densâ illâ glacie. Deo auspice, solvimus cum 14. Iunij.
scaphâ & lintre, Zephyro flante, & ad Cæciam cursum dirigentes, eo die navigavimus usque ad Insularum angulum per 5. milliaria: sed nostræ navigationis initium non admodum bene cessit, quia denuo in densam glaciem incidimus quæ istic adhuc inhærebat, unde nobis exortus non exiguus metus. Istic hærentes nostrûm quatuor in continentem profecti sumus, ad situm explorandum, & quatuor aves retulimus lapidibus à nobis ex scopulis deiectas.

XV. Aliquantulum cesserat glacies, itaque flante Austro vela fecimus prætergressi Promontorij angulum, & 15. Iunij.
Vlissingense promontorium porrectum maximâ ex parte ad Arctapeliotem, deinde ad Aparctiam, usque ad Promontorium desiderij, per 13. circiter milliaria, ubi hæsimus usque ad 16.

XVI. Denuo vela fecimus, & pervenimus ad Orangiæ insulas flante Austro, à Promontorio Desiderij VIII. 16. Iunij.
milliaribus dissitas: istic in continentem profecti cum binis doliolis, & cacabo, ad nivem liquandam & in doliola infundendam, tum etiam ad aves & ova quęrenda pro ægris. Eo pervenientes, ignem struximus ex lignis istic repertis, & nivem liquavimus, aves autem nullas reperimus: tres autem nautę in aliam insulam profecti per glaciem, tres aves ceperunt, atque in reditu Nauclerus (qui unus ex tribus erat) in glaciem incidit magno cum vitæ periculo, quia istic magnus fluctus erat, sed Dei auxilio liberatus, ad nos pervenit, ubi vestes resiccavit ad ignem quem struxeramus, ad quem etiam aves coximus, quas in lintres tulimus & ægris dedimus repletis binis nostris doliolis circiter 4. congiorum capacibus. Ad lintres cum pervenissemus, vela denuo fecimus Notapeliote flante, & humido turbido aëre, ita ut omnino maderemus, quia nostri lintres nõ erant tecti sed aperti, & cursum direximus versus Zephyrum & Hyperlybem donec ante Glaciei angulum perveniremus. Vtroque lintre circa eum angulum conjuncto, nauclerus *Willelmum B.F.* compellans, interrogavit quî valeret, rectè, inquit, spero me cursum peracturum, ante quàm ad *Waerhuys* perveniamus: & conversus ad me, Gerarde ait, sumus ne circa Glaciei angulum

lum? fubleva me, femel adhuc eum angulum confpicere volo, tum ab Orangiæ infulis ufque ad Glaciei angulum circiter quinque milliaria confeceramus, ventoque ad Zephyrum converfo, lintres ad glaciei fragmentum firmavimus, atque aliquantulū cibi fumpfimus, aër verò magis ac magis humidus fiebat & turbidus, ita ut denuo

17. Iunij. glacie cingeremur, & iftic hærere oportuerit.

XVII. Mane fumpto nonnihil cibo, glacies adeo in nos impellebatur, ut horrorem nobis incuteret, ut lintrem & fcapham regere non poffemus, & cogitaremus poftremam noftram navigationem futuram, nam adeo vehementer abripiebamur cum profluente glacie, atque ita comprimebamur ab eius fragmento, ut linter & fcapha in innumeras partes rumpi viderentur, quamobrem nos miferabiliter invicem intuentes, animum defpondebamus quia fingulis momētis mortem ob oculos verfantem videbamus. Tandem in tali perplexitate & periculo, propofitum eft, fi rudentem aut funem in firma glacie conijcere poffemus, illius adminiculo lintres in ipfam protracturos, ut eâ ratione à glaciei fragmentis fluitantibus liberi effemus: confilium quidem probum, fed cum maximo vitæ periculo coniunctum: atque ni id fieret, manifefte apparebat, de noftrâ omnium vitâ actum effe. Nemo tamen id tentare audebat, metuens ut abforberetur, licet neceffitas urgeret faciendum id effe, & minus periculum cedere deberet majori, verfantibus igitur nobis in extremo ifto periculo, ego, ut omnium leviffimus provinciam in me recepi rudentem ad firmam glaciem perferre: Itaque perreptans ex uno glaciei fluitantis fragmēto in aliud, Dei auxilio perveni ad firmam glaciem, & ad altum tumulum funem alligavi. Illius tum adminiculo qui in lintribus erant, eos ad firmam glaciem attraxerunt, unufque vir plus ea ratione præftare potuit quā antea omnes fimul coniuncti. Ad firmam glaciem appellentes, feftinanter ægros fupra illam tranftulimus, fubftratis prius ftragulis & alijs rebus, quibus incumberent, deinde totam fuppellectilem expofuimus, lintremque cum fcapha in glaciem pertraximus: hac ratione tunc à magno periculo liberati, è mortis faucibus ereptos nos duximus, & verum quidem illud erat.

Vt compreffione fragmentorū glaciei fluitantium, penè lintres confracti fuerunt, atque cum magno periculo vita ægrè funis ad firmam glaciem perlatus eft, quo lintres ad eam pertraxerunt, & ægros cum omni fupellectile expofuerunt, poftea lintres denuo concinnarunt magno cum labore & periculo: quo loco Willelmus B. f. & Nicolaus Andreæ ipfius famulus, poftridie una eademque horâ expirarunt.



XVIII. Iunij nostros lintres denuo reparauimus, quia valde afflicti erant à glaciei fragmentorum impulsu, & 18. Iunij.
omnes asserum connexiones stipare oportuit & varijs asserculis pice illitis munire, ad quam rem Dominus Deus
ligna providit ut picem liquare possemus, & omnia apparare eo pertinentia. Deinde nostrûm aliqui versus con-
tinentem profecti sunt ad quærenda ova, ab ægris valde expetita, sed nulla reperire potuerunt, quatuor tamen a-
ves retulerunt cum vitæ periculo captas, inter glaciem & continentem, ruptâ interdum sub pedibus glacie.

XIX. Satis commodus fuit aër flante Arctozephyro, & à meridie Africo, manebamus tamen in glacie constri- 19. Iunij.
cti, nec videbamus ullam maris aperturam, singulis momentis arbitrati nos istinc nunquam liberatum iri: nihilo-
minus consolabamur nos denuo, Deum nos sæpe præter exspectationem iuvisse & liberasse, & eius brachium
non esse abbreviatum, cum pro benignâ suâ voluntate nobis adhuc posse auxiliari, quâ spe nitentes, animum
mutuo nobis addebamus.

XX. Iunij Zephyro flante, satis commodus fuit aër, & circiter Solem in Notapeliote existentem, cæpit *Nicolaus* 20. Iunij.
Andreæ graviter ægrotare, ut animadverteremus ipsum non diu superstitem futurum, nam Gubernatoris vicari-
us in nostram scapham ingressus nobis narravit quali in statu *Nicolaus Andreæ* esset, & apparere eum non diu
victurum, tum *Willelmus Barnardi f.* ait, videor etiam non diu superstes futurus: nos tamen minimè suspicabamur
Willelmi morbum adeo gravem esse, quia miscebat nobiscum sermones, & legebat in Diario quod confeceram de
nostrâ navigatione, & varia habueramus colloquia, tandem seposito diario conversus ad me, Gerarde, inquit, da
mihi quod bibam, simul atque bibisset, tanta eum invalit ægritudo, ut obversis oculis subito moreretur, nec tan-
tum temporis intercederet, ut Nauclerum ex alio lintre evocare possemus, ante quam extingueretur, sic vt prius
moreretur quam *Nicolaus Andreæ*, qui breui ipsum subsequutus est. Hæc *Willelmi Bernardi f.* mors non medio-
crem attulit nobis mœrorem: nam ipse primarius erat Gubernator, cui nos confidebamus: sed Dei voluntati re-
sistere nequiuimus, cui nos acquiescere æquum fuit.

XXI. Iunij cæpit glacies denuo diffluere, & Deus quandam maris aperturam Austro Africo flante nobis immi-
sit, Sole autem circa Arctozephyrum existente ventus à Notapeliote flare cæpit satis vehementer, eam ob cau- 21. Iunij.
sam, nos apparare cæpimus ad istinc discedendum.

XXII. Mane Notapeliote satis vehementer flante, mare utcumque fuit apertum sed lintres supra glaciem per- 22. Iunij.
trahere nos oportuit magno cum labore & difficultate: nam primum lintres, cum rebus quæ inerant, supra gla-
ciei fragmentum pænè 50. gressus longum pertrahendi fuerunt, & in aquam moliendi, deinde supra aliam
glaciem trahendi, & iterum pæne trecentos gressus per ipsam moliendi, ante quam ad rectam aquam pervenire-
mus in qua vela facere possemus. Ad quam cùm pervenissemus Dei misericordiæ confidentes, dedimus vela, So-
le circa Cæciam existente, mediocriter flantibus Austro & Euronoto, cursum tenentes versus Zephyrum & Hy-
perlybem donec Sol esset in Austro. Tum denuo à glacie fuimus obsessi, quam superare non potuimus, sed in eâ
hærendum nobis, paulo post tamen glacies sponte separata est, instar Clausarum quæ aperiuntur, per quas tran-
sivimus secundum terram navigantes, sed ilico glacie denuo conclusi fuimus, & sperantes aperturam aliquam
futurum, interea cibum sumpsimus, quia glacies non effluebat ut prius. Deinde omnibus viribus incubuimus
ad glaciem propulsandam, sed irrito conatu: tamen aliquanto post tempore, sponte facta est quædam apertura, ut
per eam transiremus & secundum terræ crepidinem vela fecimus versus Hyperlybem, Austro flante.

XXIII. Iunij prosequuti sumus nostram navigationem versus Hyperlybem donec Sol esset in Notapeliote, & 23. Iunij.
pervenimus ad Promontorium Consolationis dissitum à Glaciei angulo 25. milliaribus, nec longius progredi
potuimus, quia istic glacies adeo densa supra invicem propulsa erat, tametsi serenus esset aër. Illo ipso die, Solis
altitudinem Astrolabio & Astronomico annulo dimensi sumus, quam comperimus 37. graduum esse, eius decli-
nationem vero 23. graduum 30. scrupulorum, quâ deductâ de altitudine, restant gradus 13. scrupuli 30. ijs de 90.
ademptis, manet. Poli altitudo 76. graduum 30. scrupulorum. Atque licet Sol valde splenderet, eius tamen calor
tantus non fuit, ut nivem colliquare posset ut aquam haberemus ad potandum, eam ob causam, stanneas parap-
sides, & alia varia ænea vasa quæ habebamus nive impleremus, quibus Soli expositis, ab eius radijs liquaretur nix
ad aquam comparandam, & licet nivem in ore sumeremus ad extinguendam sitim, non multum tamen confe-
rebat, sed siti premebamur.


Caerte van Nova Zembla, de Weygats, de custe van Tartarien en Ruslande tot Kildyn toe, met anwysinge van de weder vaert langs de Noort-cust van Nova Zembla, en de overvaert omtrent de Weygats na Ruslande, tot de hoeck van Candenoes, en de mont van de Witte Zee.
Door Gerrit de Veer beschreven.
Baptista à Doetechum sculp. a° 1598.
NOVA ZEMBLA
TARTARIÆ PARS
RUSSIAE PARS
LAPPIÆ PARS
Duytsche mylen 15. in een graedt
10 20 30 40 50
C. de Nassou
Cruys Eylande
Willems Eylande
Beeren fort
Den swarten hoeck
D'Admiraliteyts Eylande
C. Plantio
Loms bay
Groote bay
Lange nes
D'eerste hoeck
Swarte klip
Cruys hoeck
Het behouden Huys
C. de troost
Weygats
Staten Eylandt
Oby fluvius
Colgoy
Candenoes
Kildyn
7. Eylanden
Warsina

Descriptio cursus quem tenuimus ab ædibus in quibus hiemem traduximus secundum Septentrionale latus Novæ Zembla, usque ad Weygatz fretum, quod superavimus versus Russia oram, tum etiam ostium sive Sinum albi Maris, usque ad urbem Cola; ut demonstratur Topographica sequente tabula.

A Domicilij loco ad AEstus Sinum, cursus est ad Apeliotem & Zephyrum,	per 4. milliaria.
Ab AEstus Sinu usque ad Glaciei portum, cursus est ad Mesocæciam	per 3. milliaria.
A Glaciei portu usque ad Insulæ angulum, cursus est ad Cæciam	per 5. milliaria.
Ab Insulæ angulo usque ad Vlissingense Promontorium, cursus est ad Hypercæciam	per 3. milliaria.
A Vlissingensi Promontorio usque ad Promontorij angulū, cursus est ad Arctapeliotem	per 4. milliaria.
A Promontorij angulo usque ad Angulum Desiderij, cursus est ad Austrū & Aparctiam	per 6. milliaria.
Ab Angulo Desiderij usque ad Orangiæ insulas, cursus est versus Arctozephyrum	per 8. milliaria.
Ab Orangiæ insulis usque ad Glaciei angulum, cursus est versus Zephyrum, & Hyperlybem	per 5. milliaria.
A Glaciei angulo usque ad Promontorium Consolationis, cursus est versus Zephyrum, & Hyperlybem	per 25. milliaria.
A Consolationis Promontorio usque ad Promontorium Nassoviense, cursus est versus Mesargestem	per 10. milliaria.
A Promontorio Nassoviensi usque ad Orientalem cuneum Crucis Insulæ, cursus est versus Mesargestem	per 8. milliaria.
Ab Orientali cuneo Crucis Insulæ usque ad VVillelmi Insulam, cursus est versus Hyperlybem	per 5. milliaria.
A VVillelmi Insula usque ad Nigrum angulum, cursus est versus Africum	per 6. milliaria.
A Nigro angulo usque ad Orientalē cuneum Insulæ Admiralitatis, cursus est versus Africum	per 7. milliaria.
Ab Orientali cuneo Insulæ Admiralitatis usque ad eiusdem Insulæ Occidentalem cuneum, cursus est versus Africum	per 5. milliaria.
Ab Occidentali angulo Insulæ Admiralitatis usque ad Promōtorium Plancij, cursus est versus Mesolybonotum	per 10. milliaria.
A Promontorio Plantij usque ad Lomsbay Sinum, cursus est versus Africum.	per 8. milliaria.
A Lomsbay Sinu usque ad Ordinum angulum, cursus est versus Africum	per 10. milliaria.
Ab Ordinum Angulo usque ad Promontorium Prioris, sive Langenes, cursus est versus Hyperlybonotum	per 14. milliaria.
A Langenes usque ad Promontorium de Cant, cursus est versus Hyperlybonotum	per 6. milliaria.
A Promontorio de Cant, sive Cants angulo usque ad angulum in quo niger scopulus, cursus est ad Mesolybonotum	per 4. milliaria.
Ab Angulo in quo niger scopulus usque ad Insulam nigram, cursus est ad Euronotum	per 3. milliaria.
A Nigra Insula usque ad Costintsarck, cursus est ad Orientem & Occidentem	per 2. milliaria.
A Costintsarck usque ad Crucis angulum, cursus est versus Euronotum	per 5. milliaria.
A Crucis angulo usque ad S. Laurentij Sinum, cursus est versus Notapeliotem	per 6. milliaria.
A S. Laurentij Sinu usque ad Farinæ portum, cursus est versus Euronotum	per 6. milliaria.
A Farinæ portu usque ad geminas Insulas, cursus est versus Euronotum	per 16. milliaria.
A Geminis Insulis, unde nos vela fecimus versus oram Russiæ, usque ad Matfloo & Delgoy, cursus est ad Notozephyrum	per 30. milliaria.
A Matfloo & Delgoy usque ad Sinum in quo navigantes Quadrantis orbem circuivimus, & denuo in eundem locum sumus delati	per 22. milliaria.
Ab eo Sinu ad Colgoy, cursus est versus Corum	per 18. milliaria.
A Colgoy usque ad Orientalem angulum Candenas, cursus est versus Corum	per 20. milliaria.
A Candenas usque ad Occidentale latus Maris albi, cursus est versus Corum	per 40. milliaria.
Ab Occidentali latere Maris albi usque ad Septem Insulas, cursus est versus Arctozephyrum	per 14. milliaria.
A Septem Insulis usque ad Occidentalem angulum Kildyn, cursus est versus Arctozephyrum	per 20. milliaria.
A Kildyn usque ad eum locum in quo Ioannes Cornelij f. nos convenit, cursus est versus Hyperargestem	per 7. milliaria.
Ab eo loco ubi Ioannes Cornelij nos convenit usque ad Cola, cursus est maximā ex parte versus Austrum	per 18. milliaria.
Nos igitur cum lintre & scapha non rectis sed apertis iter confecimus, cūm inter glaciem, tum supra glaciem trahendo, & in mari velificando	383. milliaria.

XXIIII. Iunij circiter Solem Orientem remigavimus hinc & inde per glaciem, ad observandum quā potissimum transire possemus: sed nullam aperturam conspeximus, circa tamen meridiem perrupimus in mare, cuius rei causā magnas Deo gratias egimus, quod præter spem egressum nobis concessisset, & Apeliote flante vela 24. Iunij.

 fecimus

fecimus cum magno progressu, sic ut coniecturam faceremus Promontorium Nassoviense nos superaturos, impediti tamen fuimus à glacie in quam incidimus, ut hærendum nobis fuerit ad Orientale latus Promontorij Nassoviensis, ad ipsam continentis crepidinem, ut facile ipsum Promontorium conspicere possemus, quod à nobis abesse censebamus circiter tribus milliaribus flante Austro & Austroafrico. Istic nostrûm sex in continentem egressi, ligna quædam repererunt, atque in lintres attulerunt singuli quantum ferre potuerunt, nullæ tamen aves, nulla ova inventa, sed è lignis ignem struentes, aqueam pultem coxerunt (quam nos *Matsammore* appellavimus) ut aliquid calidi in stomachum ingereremus: Auster autem valde vehementer flabat.

25. Iunij. XXV. Iunij Auster etiam vehementer flavit, cumque glacies cui inhærebamus, non esset admodum firma, magnopere verebamur, ne eâ abruptâ in mare abriperemur, & sane circa Solis occasum, eiusdem glaciei fragmento abrupto, stationem mutare debuimus, & ad aliud glaciei fragmentum nos firmare.

26. Iunij. XXVI. Iunij, magnâ adhuc tēpestas ab Austro exorta, quæ glaciem cui inhærebamus in multas partes abrupit, sic ut in mare propelleremur, neque ad firmam glaciem pertingere possemus denuo, atque in summo periculo versaremur prorsus pereundi. In mari fluitantes, remis omnibus viribus incubuimus, sed ad continentem appellere nequibamus, propterea dolonem nostrum explicare oportuit, & vela facere, sed malus, cui dolon appensus, bis fractus est, idcirco peius nobiscum agebatur quàm antea, & licet ventus secundus vehementer flaret, coacti tamen fuimus Acatium deducere: ventus autem adeo vehementer in illud flabat, ut nisi summa celeritate deductum fuisset, haud dubie undis absorpti fuissemus, aut lintre aquâ repleto subsidissemus: aqua enim incipiebat in lintrem ingredi, & procul in mari eramus, quod supra modum commotum erat, atque nihil nisi præsens mors nostris oculis obversaba ur. Sed Deus qui nos ex tam multis periculis sæpe nos liberaverat, denuo, nobis adfuit, & nobis inopinanter Arctozephyrum excitavit, qui nos (licet cum magno periculo) iterum ad firmam glaciem detulit. Ex eo porrò periculo liberati, & ignorantes ubi nostri socij hæsissent, per milliare unum secundū firmam glaciem vela fecimus, sed illos non reperientes, aliquid sinistri augurabamur, metuentes ut submersi essent, interea densæ nebulæ obortæ. Sic vela facientes secundum terram, nec socios reperientes, duplicem sclopum explosimus, ipsi exaudientes, duplicis sclopi explosione responderunt, nihilominus nos mutuo videre non poteramus, interea viciniores facti, & nebulâ paulisper discussâ, nos atque ipsi explosis denuo sclopis fumum exhalantem conspeximus, & tandem convenimus, eosque intra fluentis glaciei fragmenta & firmam glaciem hærentes vidimus. Proximi ipsis facti, per glaciem ad eos ivimus, atque ipsis auxiliati sumus in efferendis supra glaciem quæ in lintre habebant, ipsoque lintre supra glaciem trahendo, & cum magno labore & difficultate denuo in apertam maris aquam perduximus. Dum ita in glacie obsessi detinerentur, ligna in littore continentis requisiverunt, è quibus igne excitato, cùm coniuncti essemus, pultem ex pane & aqua coximus, ut aliquid in ventriculum iniiceremus, eaque nobis valde grati saporis fuit.

27. Iunij. XXVII. Secundo Apeliote flante vela facientes, Promontorium Nassoviense superavimus circiter uno milliari ad occidentale latus eiusdem Promontorij, ubi denuo adversum ventum nacti sumus, ut vela legere oportuerit, & remis lintres impellere. Interea dum secundum firmam glaciem & continētem navigamus, invenimus supra glaciem iacentem tantā copiam Rosmarorum, ut tantam nunquam viderimus, neque numerus supputari potuerit, cum ingenti numero avium, in quas explosis simul duobus sclopis, duodecim eo ictu nacti sumus, quas lintribus intulimus. Nobis in hunc modum remigantibus subortus est nebulosus aër, quapropter denuo in fluitantē glaciem incidimus, ut necesse fuerit nos ad firmam glaciem redire, & illi inhærere, donec discussæ essent nebulæ, ventus autem, qui nobis adversus, à Coro flabat.

28. Iunij. XXVIII. Iunij circiter Solis ortū, omnia quæ in lintribus habebamus supra firmam glaciem exposuimus, in qua postea ipsos etiam lintres pertraximus (quia ab omni latere adeo à glacie cōprimebamur, & ventus à mari flabat) metuentes ne ita circumsepti essemus, ut nullus postea pateret exitus. Ex velis supra glaciem tentorium fiximus, sub quo aliquantulum quieti nos dedimus uni negotio dato, ut excubias ageret. Sole circa Aparctiam versante, tres ursi recta ad nostros lintres venerunt, quibus à vigile conspectis, subito exclamavit, tres Ursi, tres Ursi, quo exaudito ex tentorijs exilijmus cū nostris duplicibus sclopis grandine plumbea oneratis ad aves petendas, quas cū otium nō suppeteret aliter eos oneradi explosimus, atque tametsi graviter illos offendere non possemus, nihilominus longe recesserunt, & spatium nobis dederunt satis longum, ad sclopos denuo onerandos, sic ut 1. ex 3. mactaremus. Alij, hoc conspecto, diffugerunt, sed circiter binas post horas redierūt: sed vicini facti & strepitu nostro exaudito, fugerūt, Zephyrus & Mesargestes flabant, sic ut glacies vehemēter versus Orientē propelleretur.

29. Iunij. XXIX. Iunij circiter Solem in Africo existentem, bini, qui fugerant, ursi redierunt ad locum in quo ursus mactatus iacebat, atque illorū alter ore corripiens mactatum, protraxit per inæqualem glaciem satis procul, & vorare eum cœpit. Nos id conspicientes duplicem sclopum in eos explosimus: sed illi, audito sonitu, relicto cadavere, fugerunt. Nos autem quatuor postea eò profecti, reperimus ursum tam brevi spatio mediâ ex parte adesum, & quod reliquum erat pertrahentes in glaciei tumulum, ut videre possemus è nostris lintribus an essent redituri, & in eos explodere possemus, admirati sumus ingentes ursi vires, qui integrum cadaver adeo facile tam procul pertraxisset, quandoquidem nos quatuor dimidium cadaver tam difficulter pertrahere potuerimus. Zephyrus autem flans, vehementer adhuc glaciem versus Orientem propellebat.

Delineatio

Delineatio, ut magnâ necessitate fluitantis glaciei coacti quidquid in lintribus habebamus supra glaciem exposuerimus, & lintres etiam in eam pertraxerimus, supra quos vela expandimus, ad nonnihil quiescendum, uno constituto qui excubias ageret. Deinde ut nocte intempesta tres ursi ad nos advenerunt, quorum uno occiso reliqui fugerunt, sed postridie redeuntes, ursum occisum longo spatio pertraxerunt, & eius partem vorarunt, à nobis tandem fugati.



xxx. Iunij mane, Sole circa Mesocæciam existente, glacies à Zephyro perinde vehementer versus Apeliotem impellebatur, atque duo ursi supra glaciei fluentis fragmentum versus nos ferebantur, qui se componere videbātur, hac & illac currentes, tamquam impetum in nos facturi in aquam insiliendo, sed non fecerunt, quam ob rem nos arbitrati sumus eosdem ursos esse qui ante istic fuerant: nam circiter Solem in Euronoto versantem, alius adhuc ursus per firmam glaciem in qua eramus, recta ad nos tendebat, sed vicinior nobis factus, & strepitum exaudiens, abijt. Africus flabat, & glaciem aliquantulum dissipabat, sed quia nebulosus erat aër, & ventus vehemens, aquæ nos committere non ausi sumus, sed meliorem occasionem expectandam duximus. 30. Iunij.

IVLIVS, 1597.

Prima Iulij commodo satis aëre & flante Coro, mane circa Solis exortum Vrsus à fluitante glacie adveniens adnatavit ad firmam glaciem in qua consistebamus, sed nobis exauditis propius non accedens fugit. Sole autem in Notapeliote existente, glacies tanto impetu in glaciem, in qua nos cum lintrib. & ijs quæ exposueramus, delata est, ut ea in multas partes frangeretur, quæ supra invicem protrudebantur, unde non in parvâ mœstitia versati sumus, quia bonorum maxima pars in aquam decidit: omnem tamen diligentiam adhibuimus, ut scapham supra glaciem magis versus continentem pertraheremus, ubi nos magis securos a glaciei fluentis compressionē futuros censebamus: cùm autem rediremus ad ea quæ in glaciē reliqueramus transferenda, pæne in maiorē difficultatem, quàm unquam experti essemus, incidimus, quia cum unum fascem tollere volebamus, alter in glaciem rursus cadebat, imo sub nostris pedibus sæpenumero glacies rumpebatur, adeo ut omnis consilij expertes essēmus, & pęnè animum desponderemus, nullum prospicientes exitum. Labor igitur iste, mœstitiam superabat: scapham enim attrahere conantibus, glacies sub pedibus frangebatur, & cum lintre & reliquis cum fluente glaciē deferebamur, & bona salvare volentibus glacies frangebatur sub pedibus, tum linter confractus est, præsertim eâ parte quæ reparata erat, malus & scamnum mali: in lintre etiam iacebat æger & cistula cum pecunia, quam cum magno vitæ 1. Iulij.

 discrimine

discrimine adhuc extulimus, quia glacies cui insistebamus diffluxit & sub aliâ glacie propulsa est, unde parum ab fuit, ut crura & brachia frangerentur. Itaque existimantes de lintre prorsus actum esse miserabiliter, nos invicem spectabamus, ignari quid ageremus, quia nostra vita ex eo dependebat: Deo tamen favente glacies segregari cœpit: propterea sine morâ celeriter ad lintrem profecti sumus, atque eum qualis erat supra firmam glaciem apud scapham pertraximus, ubi melius conservari poterat.

Perduravit iste difficilis & tædiosus labor a Sole existente in Austro, donec perveniret ad Africum sine intermissione, quo valde defatigati fuimus, sed nostra res agebatur, magisque horrendum erat, quàm dum *Willelmus B. F.* moreretur, & fere submergeremur. Amisimus eo die aquâ absorpta bina panis dolia, cistulam panno lineo plenam, dolium plenum armis, nautarum optima quæque, cum annulo Astronomico, fascem panni coco infecti, vasculum olei, & aliquos caseos atque vasculum vini, cuius fundo à glacie pertuso, omne vinum effluxerat.

a. Iulij. 11. Iulij circa Solis ortum, denuo ad nos accessit Vrsus, qui nostro strepitu audito, profugit. Sole autem circa Africum versante, amœnus exortus est aër, quare statim lintrem reparare cœpimus cum asseribus quibus alvi tabulata construxeramus. Cùm igitur nos sex in lintre reparando essemus occupati, alij sex magis versus continentem sunt profecti, cùm lignorum quærendorum causa, tum ut lapides quosdam adferrent, supra glaciem ponendos ad ignem in illis struendum, & picem liquandam ad lintrem inducendum necessariam, tum etiam ut observarent an aliquod lignum reperirent malo faciendo idoneum propter nostrum lintrem, quod repererunt cum nonnullis saxis, atque ea omnia attulerunt ad locum in quo linter reparabatur. Reduces autem nobis significarunt istic se ligna quædam cæsa invenisse, & retulerunt etiàm cuneos quibus ligna finduntur, ex quo apparebat homines istic fuisse. Properabamus autem quantum poteramus ad ignem struendum & picem liquandam, & reliqua peragenda quæ erant necessaria ad lintrem reparandum, sic ut illum paratum circa Solem existentem in Hyperboreâ haberemus. Coximus etiam aves quas sclopis occideramus, & eas edimus.

Delineatio ut à glacie compressi adeo fuerimus, ut in maximo periculo versaremur, nam linter in partes confractus fuit, atque multa amisimus, volentes enim aliquid recipere, alterum subsidebat, quia glacies sub nostris pedibus sæpius frangebatur, deinde cum nobis attollebatur & impellebatur contra firmam glaciem, ut in fragmenta dissiliret cum summo periculo ne nobis crura frangerentur, aut prorsus periremus.



III. Iulij, mane circa Solis ortum, bini nostri nautæ versus aquam sunt profecti, ubi binos nostros remos de- 3. Iulij.
nuo repererunt, cum ansâ gubernaculi, fasce panni coccineo colore tincti, cistula linei panni, & casside è dolio ar-
morum, ex quo intelleximus vas confractum fuisse. Illi sumentes quæ ferre poterant, ad nos redierunt, & nunti-
arunt, multa bona istic adhuc esse. Tum Nauclerus cum quinque ex nostris eo profecti, omnia retulerunt supra
firmam glaciem, ut discessuri in lintrem inferremus: cistulam autem & panni fascem propter gravitatem (aqua
enim plena erant) adferre non potuerunt, sed coacti sunt relinquere istic, donec essemus discessuri; ut aqua inte-
rea exstillaret, deinde allaturi, ut postea contigit. Sole in Notozephyro existente, denuo ad nos venit Vrsus, & qui
excubias agebat, cum eum non animadverteret, pæne ab illo fuisset correptus, ni è nautis unus è lintre ursum
conspiciens, ad vigilem exclamasset, sibi ab urso caveret, qui clamore exaudito profugit, interea petitus ursus glo-
bo, fugit, flante Cæcia.

IIII. Iulij serenus & amœnus fuit dies, ut toto tempore quo in *Nova Zembla* hæsimus, amœniorem non ha- 4. Iulij.
buerimus, Zephyro & Africo flantibus, propterea Holosericum quod aquâ marinâ maduerat, in aquâ è nive col-
liquatâ eluimus, deinde resiccatum denuo in fascem colligavimus.

V. Amœnus etiam fuit dies, Africo flante, quo die obijt *Ianus Francisci f.* Harlemensis, *Nicolai Andreæ* (qui eo- 5. Iulij.
dem cum *Willelmo B. f.* die extinctus fuerat) consobrinus, obijt autem circa Solem in Circio versantem glacies
porrò denuo versus nos vehementer influebat, sex autem nautæ in continentem profecti, ligna ad struendum
ignem attulerunt, ad cibum coquendum.

VI. Iulij nebulosus fuit aër, sed circa vesperam Notapeliote flante, cœpit cælum nitescere, quo aliquantulum 6. Iulij.
refecti sumus, nihilominus in firmâ glacie hæsimus.

VII. Iulij, amœnus fuit aër, admixtâ tamen tenui pluviâ, flante Africo, sub vesperam autem Mesangeste profe- 7. Iulij.
cti versus aquam apertam XIII. aues occidimus fluitanti glaciei fragmento insidentes, quas in firmam glaciem
attulimus.

VIII. Iulij humidus & nebulosus fuit aër: tum ex avibus occisis coctis opiparum convivium habuimus. Sub 8. Iulij.
vesperam Arctapeliotes flare cœpit, qui nobis spem præbuit istinc discedendi.

IX. Mane cœpit glacies diffluere, ut circa crepidinem terræ aquam apertam haberemus, firma item glacies cui 9. Iulij.
insidebamus fluitare cœpit, eam ob causam Nauclerus profectus ad cistulam, & panni fascem in glacie relicta tol-
lenda, & in lintrem inferenda, atque lintrem in aquam pertraximus per distantiam 340. passuum, quod nobis val-
de difficile fuit propter immensum laborem, & nostram imbecillitatem, vela autem fecimus circa Solem in Eu-
ronoto existentem, flante Apeliote: sed circa Solis occasum denuo versus continentem cursum convertere opor-
tuit, & ad firmam glaciem, quia nondum istic diffluxerat, flante Austro à terræ crepidine, qui bonam spem præ-
buit glaciem propulsatum iri, & cœptum iter nos prosequuturos.

X. Iulij, valde laboravimus à Sole existente in Cæcia, donec pervenisset ad Apeliotem, ad penetrandum per gla- 10. Iulij.
ciem, quâ perruptâ remis incubuimus donec iterum inter duo magna glaciei æquora perveniremus, quæ inter
se coniuncta nobis exitum præcluserunt, ut oportuerit scapham & lintrem in glaciem pertrahere, exemptis prius
quæ in eis vehebantur, deinde usque ad aquam in altero latere apertam moliri per distantiam centum passuum,
& bona deinde eo perferre, quod valde difficile nobis fuit, sed necesse erat, & persuadere nobis ipsis debebamus,
nos defatigatos non esse. Cùm in aquam pervenissemus, summis virib. lintres remis impulimus, atque nō multo
post denuo inter duo magna glaciei fluentis æquora pervenientes, quæ brevi coniungēda erant, Dei auxilio, & se-
dulâ nostrâ remigatione pervasimus, ante quam concurrerent. Superatâ eâ glacie nacti sumus vehementem Ze-
phyrum planè nobis adversum, sic ut totis viribus versus firmam glaciem, quæ continenti erat contigua, lintres
fuerint remis impellendi, ad quam cum magno periculo pervenimus. Eo appellentes, cogitabamus adhuc lon-
gius progredi, secundum glaciem remigantes, versus insulam à nobis conspectam, sed vento nobis adverso, fieri
non potuit, eam ob causam, lintres cum ijs rebus quæ inerant, iterum supra glaciem pertrahendi fuerunt, & expe-
ctandus exitus quem Deus nobis concedere vellet; animo tamen deficiebamus, quod toties in glaciem incide-
bamus, metuentes, ut per diutinos & frequentes istos labores, qui nobis subeundi erant, prorsus viribus destitue-
remur, & ita inutiles redderemur.

XI. Iulij mane, nobis in glacie hærentibus circa Solem in Arctapeliote existentem, ingens pinguisque ursus 11. Iulij.
ex aquâ emergens ad nos accurrebat, Sed nos cū tribus duplicibus sclopis in ipsum directis expectavimus, atque
cum ad 30. passus à nobis abesset, sclopis simul explosis interfectus concidit, eius pinguedine è vulneribus effluen-
te, & olei instar supra aquam natante. Vrsum igitur sic fluitantē; conscenso glaciei fluentis fragmento assequuti
sumus, & iniecto in eius collum laqueo, in glaciem pertraximus, & dentibus eius excussis, dimensi sumus eius
crassitudinem quæ fuit 8. pedum, flabat autem Zephyrus, & obscurus erat aër. Circa Meridiem cœpit clarescere cæ-
lum, & tres nautæ nostri profecti sunt ad Insulam nobis adversam, ad quam pervenientes conspexerunt Crucis
insulam versus Zephyrum ipsis oppositam, & communicato inter se consilio, eo profecti sunt, ad observandum
an Russi aliqui eâ æstate istic fuissent, secundum firmam glaciem quæ media interiacebat. Eo pervenientes ani-
madvertere non potuerunt quenquam istic post nos fuisse: in eâ autem repererunt circiter 70. Bernicliarum ova;
quæ ignorabant qua ratione ferre possent, tandem unius eorum braccis excussis, & infimâ parte colligatis, ova
imposuerunt,

impoſuerunt, eas deinde è fariſſa pendentes bini tulerunt, tertius duplicem ſclopum, atque ita redierunt poſt quàm 12. horis abfuiſſent, ſic ut cogitare nequiremus quid illis obtigiſſet. Nobis porro referebant, ſe genuum tenus, in aquâ per glaciem iter feciſſe, inter utramque inſulam, atque eundo & redeundo pæne ſex milliaria confeciſſe, itaque mirabamur eos id tentare auſos, cum omnes adeo imbecilles eſſemus. Ex ovis relatis opiparum convivium habuimus, ſic ut interdum in noſtris difficultatibus & doloribus hilaria faceremus. Eo tempore diviſimus inter nos quod reliquum erat vinum, ut ſingulis circiter congius cum ſemiſſe cederet.

12. Iulij. XII. Iulij mane circa Solis exortum, cœpit Apeliotes, deinde Cæcias flare, & nebuloſus eſſe aër: ſub veſperam autem, ſex ex noſtris lapillos quæſitum iverunt, & nonnullos invenerunt, ſed non melioris notæ, atque in reditu ſinguli lignorum faſciculum attulerunt.

13. Iulij. XIII. Sereno cælo noſtrûm ſeptem verſus continentem profecti ſumus, ad lapillos denuo quærendos, quorum aliquos invenimus, Notapeliote flante.

14. Iulij. XIIII. Iulij ſerenum etiam fuit cælum, flante ſuaviter Auſtro, ut glacies à terræ crepidine cedere inciperet, vnde ſpem concipiebamus mare apertum iri, ſed quia ventus denuo ad Zephyrum converſus, glacies hæſit. Circa Solem in Notozephyro exiſtentem, noſtrûm tres in proximam inſulam nobis adverſam profecti ſunt, in qua anatem feram ſclopo peremerũt, & redeuntes in communem uſum dederunt, quia noſtra omnia erant communia.

15. Iulij. XV. Iulij nebuloſo aëre & flante mane Notapeliote, ſub Solis occaſum pluere cœpit, vento in Zephyrum & Africum mutato.

16. Iulij. XVI. Iulij ex continente vrſus ad nos advenit, quem propius accedere ſinentes, (quia cum inſtar nivis albus eſſet, initio diſcernere nequibamus an vrſus eſſet) ſed ex motu illum agnovimus, vicinum nobis factum, ſclopo exploſo attigimus, ſed ilico fugit. Mane Zephyrus flavit, deinde Cæcias turbans aërem.

17. Iulij. XVII. Circiter Solem in Euronoto exiſtentẽ, noſtrûm quinque iterum in proximam Inſulam iverũt, ad obſervandum, an ulla eſſet aquæ apertura, tædere enim nos incipiebat diuturnæ eo loco moræ, nullum exitum cernentes vt iſtinc diſcedere poſſemus. Vt autem pæne medium confecerant iter, repererunt vrſum pone glaciei fragmentum jacentem qui pridie à nobis vulneratus fuerat, qui nobis exauditis in fugam ſe dedit, ſed unus è noſtris eum inſequutus cum harpagone, ſtimulabat, ut urſus ſe converteret & in poſteriores pedes ſe ſiſteret, atque cum ille denuo eum ſtimularet, ferrum harpagonis confregit, tanta vi, ut qui ſtimulabat everteretur. Alij hoc conſpicientes ſclopum exploſerunt in vrſum, qui propterea fugit, qui autem fuerat everſus, nihilominus inſequebatur cum harpagone confracto, quo eum ſtimulabat, vrſus verò ſe convertens ter in eum inſilijt, interea duo alij denuo advenerunt, & vrſum globo iterum trajecerunt, ut ſuper nates ſedendum illi fuerit, & vix progredi poſſet, ſed cum iterum exploſo ſcopo trajectus eſſet, concidit, cui deinde dentes excuſſerũt. Toto illo die flavit Arctapeliotes & Cæcias.

18. Iulij. XVIII. Iulij, circa Solis exortum, tres noſtrûm iverunt in elatiorem continentis locum, ad obſervandum an mare aliquâ ex parte apertum eſſet: illi quidem multam apertam aquam viderunt, ſed tam procul à terra, & à firmâ glacie, ut pæne animi deliquium paterentur, dum cogitarent, nobis impoſſibile futurum, ut per tãtam diſtãtiam lintres & quæ inerant pertraherent, quia noſtræ vires in dies magis ac magis minuebantur, & moleſtiæ laboris creſcebant. Redeuntes ad lintres, nobis hæc narrarunt: nos vero ex neceſſitate animum ſumentes, cohortati ſumus invicem, ut lintres & bona ad aquam traheremus, deinde remigio tenderemus ad eam glaciem quæ erat ſuperanda, ut ad apertum mare perveniremus. Ad glaciem appellentes, lintres exoneravimus, deinde ſupra glaciem pertraximus ſeparatim uſque ad aquam, deinde bona per mille fere paſſus, quæ res nobis adeo gravis & moleſta fuit, ut pæne in ipſo opere arbitraremur nos defecturos: ſed quandoquidem tot difficultates ſuperaveramus, ſpem concipiebamus etiam iſtam nos ſuperaturos, optantes ut ea poſtrema eſſet: pervenimus igitur magnâ cum moleſtiâ & difficultate, ad aquam apertam circa Solem in Notozephyro exiſtentem: tum vela fecimus donec Sol eſſet in Hyperlybe, & denuo in glaciem incidimus, ſupra quam moliendi lintres fuerunt. In ea conſiſtentes, Crucis inſulam conſpicere potuimus, quam conjectura uno milliari à nobis abeſſe cenſebamus. Flavit eo die Apeliotes & Arctapeliotes.

19. Iulij. XIX. Iulij, Nobis ſic in glacie hærentibus, noſtrûm ſeptem circa Solis exortum, ad Crucis Inſulam ivimus, vnde verſus Zephyrum plurimam aquam apertam conſpeximus, quâ re valde gaudentes, cum celeritate ad lintres redijmus, legentes nihilominus circiter 100. ova quæ repererunt. Reduces narrarũt tam latè apertam aquã conſpexiſſe, quàm oculorum acies ferre poſſet, ſperantes nunc poſtremum futurum, quod lintres ſupra glaciem eſſent trahendi, neque amplius ullam inventuros, forti igitur eſſemus animo. Ova reperta coximus & inter nos diviſimus, atque ilico comparavimus nos, circiter Solem in Auſtroafrico exiſtentem, ad omnia expedienda quo lintrẽ & ſcapham in aquã pertraheremus, licet pæne per 270. paſſus eſſent molienda, quod magno animo fecimus, ſperantes poſtremum laborem futurum. Deinde cum benigno Dei auxilio vela fecimus flantib. Apeliote & Cæcia, valde ſecundis, ut circa Solis occaſum Crucis Inſulam ſuperaremus, à Promontorio Naſſovienſi 10. milliaribus diſtantem. Deinde paullo poſt reliquit nos glacies, ut nullam prorſus videremus, niſi aliquantulam in mari, quæ nullum impedimentum nobis attulit, ſed proſequuti ſumus noſtrum curſum verſus Lybonotum, perpetuo flatu ab Apeliote & Cæcia, ſic ut conjecturam faceremus, nos ſingulis 12. horis 18. milliaria conficere, qua re non mediocri

ἀocri lætitiâ, perfundebamur. Deo gratias agẽtes, quòd nos à tantis difficultatibus (quibus fuccumbere cogitabamus) nos liberaffet, & confidentes eum porrò nobis benignum auxilium præbiturum.

Vt lintres ad Orientale latus Crucis infulæ à firmâ glacie in aquam pertraximus, deinde vela fecimus profpero curfu & flante Arctapeliote verfus Africum, (fuperantes Admiralitatis Infulam, Lomfbay Sinum, & Promontorium Plantij) per 60. ferè milliaria, ante quàm in glaciem incideremus, quam nos amplius non reperturos arbitrabamur.



xx. Iulij, continuato fecundo curfu, circa Solem in Notapeliote exiftentẽm, pervenimus ante Nigrum angulũ, diſſitũ à Crucis Infula 12. milliaribus, ad Africum tendẽtes, & circa Solis occafum Admiralitatis infula fuit à nobis confpecta, quam fuperavimus circa Solem in Aparctia ftantem, diftantem à Nigro Angulo 8. milliaribus. Secundum eam vela facientes, circiter 200. Rofmaros in glaciei fragmento iacentes vidimus quos, iuxta navigando, abegimus, fed noftro penè damno: nã quemadmodũ monftra marina funt valde robufta, ad nos magno impetu adnatarunt (quafi ultionem fumere volentes de turbata à nobis ipforum quiete) & lintres circumfederunt magno fremitu quafi nos voraturi effent, fed tamen evafimus, ventum habentes fecundum: nihilominus non prudenter feceramus, canem, ut aiunt, dormire volentem excitando. 20. Iulij.

xxi. Præterijmus Promontorium Plantij circiter Solem in Cæcia verfantem, diſſitum ab Admiralitatis Infulâ verfus Africum 8. milliaribus, & Arctapeliote nobis valde fecundo, navigavimus circa Solem in Notozephyro ftantem ante Langenes, diftantem à prædicto Promontorio Plantij 9. milliaribus, ubi continens maximâ ex parte porrigitur verfus Notozephyrum. 21. Iulij.

xxii. Iulij continuato profpero curfu, pervenientes circa Promontorium de Cant, egreſſi fumus in continentem, ad quærendas aves & ova, fed nihil reperientes, curfum profequuti fumus, fed deinde circa meridiem, vidimus fcopulum avibus obfeptum, ad quem directis cymbis, ivimus, & lapidibus iactis 22. aves nacti fumus atque 15. ova, ab uno ex noftris è fcopulo petita: atque fi paullo diutius iftic hærere voluiffemus, centum aut 200. aves capere potuiffemus: fed quia Nauclerus à nobis in interiore mari aberat, & nos expectabat, ne profperum illum 22. Iulij.

 ventum

ventum negligeremus, nostram navigationem prosequuti sumus secundum continentem. Et circa Solem in Notozephyro versantem, denuo ad angulum quendam venimus, in quo pæne 125, aves cepimus suis nidis incubantes, vel manu, vel coniectis lapidibus, ut in aquam ex alto deciderent: necesse est eas nunquam homines conspexisse, neque quenquam conatū esse illas capere (alioqui avolare potuissent) & sibi nō metuisse nisi à vulpibus & alijs silvestribus animalibus, quæ in præaltos & præcipites illos scopulos conscendere nequibāt, propterea suos nidos istic extruxisse, & securas fuisse, neminem eo ascensurum: & certe non in parvo periculo fuimus crura & brachia confringendi, præsertim in descensu, ob scopuli præcipitium. Habebant porrò istæ aves unicum singulæ ovum in nudo scopulo positum, nullo aggesto stramine, aut alia re quapiam, quod admirandum est, eas potuisse in tali frigore excludere ova: sed tamen verisimile est unicum duntaxat ovum ponere, ut calor, quem incubantes præbent, validior & efficatior sit in uno ovo, ad quod totus penetrat, quam si divisus esset in plura simul ova. Invenimus istic multa etiam ova, sed maximâ ex parte putrida. Istinc solvētes, ventum nacti sumus prorsus adversum, & tempestuosum ab Arctozephyro, atque etiam multam glaciem quam superare conati sumus, sed irrito conatu. Tandem cursum hac & illac obliquando, incidimus in glaciem. In qua stantes, versus continentem multam apertam aquam vidimus, ad quam cursum convertimus. Nauclerus (qui cum suo lintre magis in mare penetraverat) in mediâ glacie nos esse conspiciens, existimavit malè nobiscum agi, propterea extra glaciem hac & illac cursum dirigebat, sed tandem animadvertens nos vela facere, persuasit sibi nos aperturam conspicere, ad quam cursum dirigebamus (ut verum erat) convertit se ad nos, & ad continētem apud nos venit, ibique commodū portum invenimus, ab omnibus pæne ventis tutum: continentem verò attigit binis post nos horis. Tum simul in continentem descendimus, ubi aliquot ova reperimus, lignaque collegimus ad ignem struendum, quo coximus aves à nobis captas. Arctozephyrus autem flabat cælum turbans.

23. Iulij. XXIII. Iulij obscurum & nebulosum fuit cælum, flante Aparctia, ut in eo portu fuerit nobis hærendum, interea quidam ex nostris nautis in continentem sunt profecti ad avium ova & lapillos investigandum, sed parum invenerunt, probatos autem lapillos nonnullos.

24. Iulij. XXIIII. Serenus fuit aër flante adhuc Aparctia, eam ob causam istic adhuc nobis fuit hærēdum. Meridie Solis altitudinem dimensi Astrolabio, comperimus esse supra Horizontem 37. graduum 20. scrupulorum, declinationem vero 20. graduum 10. scrupulorum, quibus demptis de inventa altitudine, restant 17. gradus 10. scrupuli: eos si detrahas de 90. gradibus habebis Poli altitudinem 73. graduum 10. scrupulorum. Vt autem nobis istic erat hærendum, sæpiuscule è nostris nonnulli investigatum ibant lapillos, quos invenerunt, tam probæ notæ ac unquam reperissemus.

25. Iulij. XXV. Iulij obscurum & nebulosum fuit cælum, Aparctia flante adeo vehementer, ut in littore nobis fuerit hærendum.

26. Iulij. XXVI. Iulij, cæpit aër purgari, & serenus fieri, qualem aliquot diebus non habuerimus, perseverante Aparctia. Solvimus inde circa meridiem: sed cum amplus esset Sinus, pænè per quatuor milliaria versus mare nobis fuerūt facienda vela, ante quam cornu Sinus superare possemus, quia magna ex parte adversus erat ventus, sic ut media nox esset ante quam illud superaremus, cum velis, tum remis. Eo superato, deduximus vela, & secundum terræ crepidinem remis incubuimus.

27. Iulij. XXVII. Iulij tranquillo & sereno cælo, integrum diem per glaciei fragmenta secundum continentem remigavimus, Arctozephyro flante, & sub noctem circa Solis occasum pervenimus ad locum in quo vehemens erat maris æstus: proinde nos circa Costinsarck esse arbitrabamur, quoniam magnum Sinum etiam videbamus, itaque coniecturam faciebamus desinere in Tartaricum mare; cursus autem noster erat versus Notozephyrum potissimùm. Circa Solem in Aparctia existentem, superavimus Crucis angulum, & vela fecimus inter Continentem & Insulam quandam, cursumque direximus versus Euronotum, Arctozephyro flante, ita ut secundo vento ferremur. Nauclerus autem cum lintre longe nos præcedebat, sed ad Insulæ cuneum perveniens, nos expectavit. Eo pervenientes aliquanto tempore apud scopulum hæsimus, sperántes nos aliquas aves capturos, sed nullæ captæ. Vela tum feceramus à Promontorio de Cant supra Constinsarck usque ad Crucis angulum per 20. milliaria, versus Euronotum, flante Arctozephyro.

Vt post longam & difficilem circumactionem pervenimus ad binas naves Russicas, in quibus homines fuerunt qui nos agnoverunt, quia praecedente anno in nostra navi fuerant in freto Weygatz, atque ut mutuo nos miserabiliter tuentes non possemus cum eis colloqui, Nihilominus Russi, valde amicè nos exceperunt, & nostri miserti sunt, qua re magno gaudio fuimus affecti, Deo gratias agentes, nos denuo ad homines pervenisse, quos 13. mensium spatio non conspexeramus.



XXVIII. Iulij, sereno cælo & flante Arctapeliote, secundũ littus vela facientes, Sole in Notozephyro existente, pervenimus ante S. Laurentij Sinum, sive Propugnaculi angulum, & cursum tenuimus versus Euronotũ per 6. milliaria. Eo pervenientes, invenimus pone angulum binas Russicas naves, quà re aliquantulum exhilarati fuimus, tandem nos pervenisse ad ea loca in quibus homines reperiebantur, contra verò dubitabamus, quod tanto numero essent, conspiciebamus enim eorum bene 30. ignorabamusq́ue silvestres ne, an feri essent. Magno autem cum labore ad continentem pervenimus, ipsi autem relicto opere ad nos venerunt inermes, nos contra progressi sumus quotquot per morbum potuimus, plerique enim valde stomacacce laborabant. Vicini facti, reverenter invicem salutavimus, ipsi, suo more, nos, nostro: deinde mutuo miserãdum in modum intuentes, eorũ nonnulli nos agnoverunt, & nos ipsos, atque eosdem esse qui præcedente anno, dum fretum *Weygatz* superaveramus, in nostrà navi fuerant, quapropter facile animadvertere poteramus illos attonitos & anxios de nobis esse, quandoquidem tum nos reperissent tam magnam & magnificam atque ab omni re probè instructam navem habentes, ut admirarentur, nunc verò adeo in misero statu, & in lintribus apertis advenientes. Ex eorum numero bini Nauclerum & me amicè super humeros ferierunt, tanquam nos adhuc agnoscentes ex superiore congressu (nullus enim præter eum & me tum temporis in *Weygatz* fuerat) & percontati sunt de nostra *Crablè* (nostra nave videlicet) quid eà factum esset: nos quam commode potuimus (carebamus enim interprete) significavimus nostram navem in glacie reliquisse: tum illi, *Crable pro pal?* quod interpretabamur, Amisistis ne navem? respondimus, *Crable pro pal*, sic, Navem amisimus: sed multa verba commutare nequivimus, quia invicem non intelligebamus: sed omnibus indicijs significarũt, se nobis condolere & nostri misereri, quod istic ante fuissemus cum tali navium apparatu, & nunc in tam misero statu essemus: atque indicabant se tum in nostra nave vinum bibisse,

28. Iulij.

Vt denuo ad homines venerimus, quos 13. mensium spatio non conspexeramus.

bibisse,

bibisse, interrogantes quæ nostra nunc esset potio: itaque unus è nautis ad lintrem excurrens, aquam deprompsit, & gustandam exhibuit, illi, concusso capite, dixerunt, *no dobbre*, hoc est, non est bonum. Tum noster Nauclerus propius accedens, os apertum illis ostendebat, ad significandum nos stomacacce laborare, an nossent aliquod remedium: illi existimantes nos fame premi, unus illorum ad navem excurrens secalinum orbicularem panem attulit circiter 8. libras pendentem, cum aliquot resiccatis avibus, quæ nos grato animo accepimus, & dedimus illis contra sex biscoctos panes. Noster Nauclerus illorũ binos primarios ad suum lintrem deduxit, & illis semel propinavit de vino quod illi restabat, circiter ad dimidium congium. Interea dum apud illos moram trahimus, cũ ipsis familiariter versati sumus, Profecti sumus ad eorum statione, & ad ipsorũ ignem aliquot biscoctos panes in aquâ coximus ad aliquid calidi in ventriculũ inijciendum. Lætabamur magnopere illorũ conversatione, quia 13. mensium spatio (post quam à *Iano Cornelij f.* discesseramus) nullum unquam hominem conspexissemus, sed feroces & voraces ursos duntaxat, adeo ut nunc hilari animo essemus, nos iamdiu vixisse, quod hominibus essemus redditi, invicem dicentes, omnia nunc salva erunt, quandoquidem ad homines pervenerimus, Deo ingentes gratias agentes, pro suâ misericordiâ, & quod nobis usque in eam horam vitam concessisset.

29. Iulij. XXIX. Iulij satis commodus fuit aër, atque mane cæperunt Russi sese comparare ad vela facienda, eruentes ex sparso littorali arenæ permixto, aliquot pinguedinis piscium dolia, quæ recondiderant, & ea in suas naves inferentes. Nos ignorantes quorsum tenderent, observavimus versus *Weygatz* eos vela facere; itaque nos etiam vela facientes, eos sequuti sumus. Cum verò illi nos præcederent, nosque illos sequeremur littus legentes, exorta est nebula, quæ nobis illorum conspectum ademit, atque ignoravimus an versus continentem navigarint in Sinum aliquem se recipientes, an verò ulterius progressi sint: nos nihilominus cursum prosequuti sumus versus Euronotum, flante Arctozephyro, tum etiam versus Notapeliotem inter binas Insulas, donec iterum glacie obsideremur, nec ullum exitum videremus: quapropter arbitrabamur nos circa *Weygatz* debere esse, & Arctozephyrum glaciem in eum Sinum propulisse. In hunc modum à glacie obsessi, nec ullo transitu apparente, magno cum labore & difficultate regressi sumus usque ad binas prædictas Insulas: ad quas pervenientes circa Solem in Arctapeliote versantem, nostros lintres ad unam Insulam firmavimus, quia ventus magis ac magis insurgebat.

30. Iulij. XXX. Iulij, nobis Insulæ sic inhærentibus, atque Arctozephyro perinde vehementer flante, magnisque imbribus cadentibus, & perturbato aëre, etiam sub velis supra nostros lintres expansis tuti esse à madore non potuimus, quod nobis insolens erat: nam multo tempore nullam pluviam habueramus, toto tamen die istic permanendum fuit.

31. Iulij. XXXI. Iulij mane circiter Solem in Arctapeliote stantem, remigavimus ab ea Insula ad aliam, in qua binæ erãt cruces, cuius rei causâ existimavimus aliquos homines istic fuisse mercium causâ, ut alij Russi supra, sed neminẽ reperimus. Arctapeliotes adhuc flabat, quapropter glacies perinde vehementer versus *Weygatz* propellebatur. Istic in continentem descendimus, Deo haud dubiè nos eo deducente, quia invenimus Cochleariam vulgo vocatam, quæ nobis valde fuit utilis, quum nostrûm multi essent ægri, imo plerique fere omnes stomacacce laborabant adeo ut vix diutius persistere possent, atque huius herbæ usu adeo evidenter & properè, iuvati sunt, ut ipsi miraremur, quam ob rem Deo magnas gratias egimus, qui nobis antea sæpius inopinanter auxilio fuerat. Nos istam abundanter manducabamus solam, quia eius facultates apud nos valde commendare audiveramus: eius tamen vires longè efficaciores nostrâ opinione experiebamur.

AVGVSTVS. 1597.

1. August. Prima Augusti Arctozephyro vehementer flante, glacies quæ jam per multos dies in Sinum *Weygatz* propulsa erat, subsistebat: sed tam ingentes erant fluctus decumani ut nostros lintres traducere cogeremur ad aliud Insulæ latus, ut à marinis undis magis essemus tuti. Istic denuo in continentem ivimus, ad Cochleariæ folia petenda, è quibus tantam utilitatem sentiebamus, atque nostra sanitas magis confirmabatur, adeo properè, ut ipsi admiraremur, quia nonnulli statim biscoctum panem manducare poterant, quod paullo ante præstare nõ poterant.

2. August. II. Augusti circa Solem in Aparctia stantem, obscurus & nebulosus fuit aër, flante adhuc vehementer Arctozephyro, atque nostra annona valde minuebatur, nihil enim habebamus præter paululum panis cum aqua, & nonnulli paululum adhuc casei, sic ut valde tæderet diuturnæ istic moræ, & ad abitum spiraremus propter famis metum, qua nostræ vires imbeciliores adhuc reddebantur; & nihilominus graves labores nobis erant tolerandi, quæ duo valde repugnantia erant, & pleniore cibo nobis potius opus erat, ad restaurandas vires, quàm sobrietate.

3. August. III. Augusti circa Solem in Aparctia existentem, commodiore aliquantum cælo, consilium cepimus à *Nova Zemblâ* transgredi versus Russiam, & Deo favente vela fecimus Arctozephyro flante, versus Austroafricum, donec Sol esset in Apeliote, atque denuo incidimus in glaciem, quæ nos valde anxios reddidit, quia iam superasse arbitrabamur & valedixeramus, non existimantes tam cito nobis denuo obfuturam. Inter glaciem ita versantes cum tranquillitate, ut vela non multum nos iuvarent, ea deduximus & remis incumbere cæpimus per glaciem

cum

cum magno & molesto labore, atque eam circa Solem in Notozephyro stantem superavimus, pervenientes in latum mare, in quo nullam glaciem observavimus, peractis cum vela faciendo, tum remigando xx. milliaribus. Eo modo vela facientes, arbitrabamur nos ad Russiæ littora propius accedere: sed circa Solem in Arctozephyro flantem, iterum in glaciem incidimus, aëre valde frigido existente, quam ob causam valde attoniti eramus, existimantes istis laboribus nos nunquam expeditum iri, ut autem nostra scaphâ lentius progrediebamur, neque extremam glaciem superare poteramus, in eam nos dare coacti fuimus, videntes aliquam aperturam apparere, cum in eam ingressi essemus: ea autem erat difficultas qua ratione possemus eam perrumpere, valde enim compressa erat, tandem commoditatem invenimus in eam perrumpendi, in qua siti, paulo meliori loco nostræ res fuerunt, & magno cum labore in aquam apertam pervenimus. Noster Naucleus qui in lintre erat, & commodiora vela habebat superavit glaciei extremum, & de nobis sollicitus erat quod in glacie obsessi essemus: Dei tamen auxilio, nos tam celeriter eam penetravimus, atque ille circumnavigavit, & eâ ratione iterum convenimus.

IIII. Augusti circa Solem in Notapeliote versantem ex glacie liberati, vela simul fecimus Arctozephyro flãte, versus Austrum magnâ ex parte, & circiter Meridiem Russiæ litus procurrens vidimus, quâ re magnopere sumus exhilarati. Proximiores facti, velis demissis, remis lintres egimus ad litus, quod valde planum esse deprehendimus, ut ea loca quæ interdum à mari alluuntur: istic hæsimus donec Sol occideret, sed animadvertentes non esse commodam stationem, quemadmodum a *Novæ Zemblæ* angulo unde discesseramus, usque ad eum locum per 30. milliaria vela feceramus, istinc, circiter Solem in Notozephyro existentem, nostrum cursum prosequuti fuimus secundum Continentem Russicum, satis secundo vento, & circa Solem in Aparctia stantem, denuo Russicam navem vidimus, ad quam tendimus ut qui in ea erant compellaremus. Illi nos advenientes conspicati, omnes supra navis tabulatum venerunt; nobis vero clamantibus *Candinas*, *Candinas*, ipsis significare cupientibus an apud *Candinas* essemus, responderunt *Pitzora*, *Pitzora*, quasi indicare vellent nos circa *Pitzora* versari, & quemadmodum proxime secundum littus navigabamus valde aridum, existimantes nos versus Mesargestem navigare, ad superandum cuneum *Candinas*, per quadrantem qui supra arcam, ferreis laminis cinctam erat, pænè per binorum rhomborum discrimen aberravimus, cursu magis ad Austrum directo, quàm arbitrabamur, imo etiam nimis ad Orientem: putabamus enim nos *Candinas* vicinos esse, & tamen pænè aberamus triduana velificatione, ut postea comperimus. Nos autem animadvertentes ita aberasse, istic hæsimus, diem expectantes. 4. August.

v. Augusti illic hærentibus, nostrorum nautarum unus in Continentem ivit, atque observans gramen istic esse cum quibusdam fruticibus, nos evocavit, invitans ut cum sclopis adveniremus, istic enim reperiri ferinam, qua re valde lætati sumus: nostra enim annona pænè erat absumpta, neque quidquam supererat quam paululum panis mucidi, unde prorsus animum despondebamus, adeo ut quidam diceret deserendos esse lintres, atque in interiorem continentem esse eundum, alioqui nos fame perituros, nam in dies crescebat inopia, & fames gravis adeo erat, ut difficulter illam diutius ferre possemus. 5. August.

vi. Augusti, mitior fuit aër, itaque mutuo nos cohortati sumus, quandoquidem ventus erat adversus, ut remis lintres impelleremus, ad egrediendum ex Sinu versus Vulturnum, unde ventus flabat. Remigatione autem factâ per tria milliaria, ulterius progredi nequivimus, quia & ventus prorsus adversus nobis erat, & nos defatigati & valde imbecilles, atque continens magis ad Arctapeliotem tendebat quàm augurabamur, quamobrem miserabiliter nos invicem intuebamur quia iam quasi res desperata erat, quandoquidem pæne prorsus absumpta erat annona. 6. August.

vii. Corus flans nobis utilis fuit ad egrediendum extra Sinum, & vela fecimus versus Mesocæciam, donec è Sinu egrederemur & pervenlremus ad eum Continentis angulum, in quo prius fueramus. Istic denuo constitimus quia Arctozephyrus prorsus nobis erat adversus, cuius rei causâ nautarum animus plane deficiebat, non prospicientium qua ratione inde discedere possemus. Morbus, fames, & nulla apparens ratio qua discedere possemus, nos penitus consumebat, si miseratio aliquod remedium adferre potuisset rebus nostris, fuissent haud dubie meliore loco. 7. August.

viii. Augusti nulla adhuc fuit melior temperies aëris, sed ventus adversus, & satis procul ab invicem eramus seiuncti, cum singuli deligerent locum sibi commodiorem: præsertim in nostro lintre maior erat miseria, quia nonnulli inerant famelici valde, qui famem diutius tolerare nequibant, animo fere deficientes, & mortem exoptantes. 8. August.

ix. Augusti, aëre manente in eodem statu, & vento prorsus contrario, coacti sumus istic hærere, quia nullus egressus apparebat, atque tædium in dies augebatur. Tandem bini è lintre profecti sunt ad locum in quo Nauclerus erat, quod alij conspicientes, bini etiam in continentem iverunt, fere ad unius milliaris distantiam, atque viderunt rivum, ex quo aqua profluebat unde arbitrabantur flumen esse in quod Russi advenerant inter *Candinas* & Russiæ continentem. Redeuntes, invenerunt phocam mortuam fœtidam, quam pertraxerunt usque ad lintrem existimantes se bonam ferinam nactos esse quam manducarent, præ ingenti fame quæ illos premebat, sed nos dissuasimus, dicentes haud dubie ex eius esu mortis periculum incursuros, sed potius abstinerent, Deum enim qui nos tam frequenter præter spem iuvisset, adhuc vivere, & sperare eum nos non prorsus neglecturum, sed inopinate nobis adfuturum. 9. August.

10. Aug. X. Augusti eodem vento perseverante, cum nebula & obscuritate, istic adhuc hærendum fuit: quo animo fuerimus, facile cuivis notum esse potest.

11. Aug. XI. Mane fuit aër commodus & tranquillus, & circa Solem in Arctapeliote versantem, Nauclerus misit qui moneret, ut nos ad iter accingeremus, iam tamen eramus parati & remigabamus versus ipsum. Vt vero valde imbecillis eram, nec diutius remis impellere poteram scapham, quæ multo gravior erat lintre, in lintrem receptus sum, & ad eius gubernaculum positus, succedente in meum locum alio validiore, ut simul porro navigaremus. Sic lintres impulsi fuerunt usque ad meridiem, tum commodum ventum nacti ab Austro, remos inhibuimus, & vela fecimus felici cursu; sub vesperam autem vehementer flante vento, vela deducere, & versus continentem remigare oportuit, & lintrem proxime littus promovere, unde ad fluentem aquam quærendam profecti, nullam reperimus. Cùm itaque longius progredi nequiremus, nostra vela tentorij instar apparavimus sub quod nos reciperemus, decidebat enim ingens imber atque media nocte valde intonuit cælum, & fulguravit, cum maiore imbre, quæ omnia nostros nautas valde angebant, cum viderent nullum finem fieri, sed omnia in peius vergere.

12. Aug. XII. Augusti, claro aëre, versus Orientem vidimus Russicam navem plenis velis deferri, qua re non mediocriter sumus gavisi. Eam ex littore in quo cum lintre hærebamus conspicientes, cohortati sumus Nauclerum, ut ad ipsam navigaremus, ad eos qui illâ vehebantur compellandos, & aliquid annonæ comparandum: propterea quam festinanter potuimus, lintrem in mare deduximus, & versus navem vela fecimus; eo venientes, Nauclerus in illorum navem conscendit, & rogavit quam procul à Candinas abessemus, sed quandoquidem eorum sermonem non callebamus, quid responderent intelligere nequibamus, tametsi quinque digitos protruderent: postea tamen nobis persuasimus illos significare velle quinque cruces in ea esse sitas, protulerunt etiam suam pyxidulam nauticam, in qua ostendebant, versus Arctozephyrum à nobis abesse, quod etiam nostra pyxidula demonstrabat, quam supputationem nos etiam feceramus. Vt verò nihil præterea ex eorum colloquio comprehendere poteramus, Nauclerus, indicato in ipsorum nave dolio in quo pisces habebant, & ostenso argenteo numo 8. regalibus æstimato, signis percontatus est an vendere cuperent. Illi hoc intelligentes centum & binos pisces nobis dederunt, cum aliquot parvis libis è farina ex aqua cocta, dum pisces coquerent. His acceptis circiter meridiem ab eis discessimus, gaudentes nos aliquid annonæ nactos esse: nam iam multo tempore nihil præter quatuor panis uncias in singulos dies habueramus cum aquâ, quibus victitaremus. Illi ipsi pisces fuerunt inter omnes æqualiter divisi sine discrimine, ut minimus tantundem acciperet atque maximus. Ab eis discedentes, flante Austro, & Meseuronoto cursum prosequuti sumus versus Mesargestem, & circa Solem existentem in Africo, ortum est denuo ingens tonitru cum imbre, sed breve admodum, quia paulo post rursus sequutus est commodus aër: iter hac ratione prosequentes vidimus Solem secundum communem pyxidiculam nostram in Hyperthracia Occidentem.

13. Aug. XIII. Augusti iterum nacti sumus adversum ventum Notozephyrum, cum nobis ad Mesargestem tendendum esset, propterea versus continentem denuo tendere oportuit. Istic hærentibus, bini nostri nautæ in continentem profecti ad explorandum eius situm, an cuneus *Candinas* istic in mare procurreret, quia existimabamus nos vicinos esse. Illi regressi, narrarunt se in continente domum vidisse, sed vacuam, præterea se non aliud potuisse observare quàm *Candinas* esse cuneum, sive angulum, quem conspexeramus. Vnde animo recepto, in lintres regressi, illos remis impulimus secundum littus. Spes enim animum suggerebat ut plus præstaremus, quàm alias fecissemus, quia nostræ vitæ conservatio inde pendebat. Secundum igitur continentem sic navigantes, denuo Russicam navem vidimus in littore stantem, confractam, qua præteritâ, paulo post domum in littore conspeximus, ad quam nonnulli nostrum profecti, neminẽ repererunt, sed clibanum duntaxat. Ad lintrem redeuntes cochleariæ folia retulerunt. Secundum cuneum porrò remigantes, nacti denuo sumus commodam auram ab Apeliote, ut vela facientes, ulterius simus progressi. A meridie circa Solem in Notozephyro existentem, observavimus cuneum quem conspexeramus ad Austrum se convertere, propterea certo nobis persuadebamus *Candinas* angulum esse, à quo vela facientes, superare cogitabamus albi maris ostium, in hac sententia coniunximus lintres, atque invicem communicavimus candelas & quidquid communicare poteramus nobis necessarium futurum, & à continente solventes versus Russiam, album mare, ut arbitrabamur, superaturi. Nobis sic vento secundo vela facientibus, circa mediam noctem excitata est ex Aparctia magna tempestas, quæ vela contrahere nos coëgit, substrictis in velo binis funiculis, sed nostri socij qui meliora vela habebant ignorantes nos vela minuisse, prosequuti sunt suum iter, ita ut ab invicem segregaremur, nam etiam turbidum erat cælum.

Hic ab invicem aberravimus.

14. Aug. XIIII. Augusti mane commodo satis aëre, flante Notozephyro, cursum direximus versus Corum, & cœpit denuo cælum serenum esse, sic ut nostros socios adhuc conspicere possemus, & omnem sedulitatem adhiberemus, ad eos assequendos, sed nequivimus ob subortam nebulam, nihilominus dicebamus, prosequamur nostrum cursum, illos bene assequemur ad Septentrionale latus Albi maris. Tendebamus autẽ ad Corum, flante Mesolybe, & circa Solẽ in Notozephyro existẽtẽ, ulterius progredi nequivimus, ob adversum ventũ, ut deducenda nobis fuerint vela, & porrò remis incumbendũ. Remigantibus sic usque ad Solis Occasum, commodus denuo exortus est ventus, ut denuo velis expansis navigaremus, binis nihilominus remis lintrem impellendo, donec Sol esset in Circio, quo tempore Apeliote & Euro flantibus vehementius, inhibitis remis vela porrò fecimus versus Corum.

xv. Vidimus Solem in Caecia exorientem, sic ut videretur nostra pyxidicula aliquantulum declinare, & circiter Solem in Apeliote existentem, tranquillitas est exorta: eam ob causam deducenda fuerunt vela, & remis incumbendum: non diu tamen perstitit tranquillitas, sed exorto vento ex Notapeliote, vela denuo facientes, cursum direximus versus Hyperlybem. Vento autem prospero delatis, circa meridiem apparuit continens, arbitrati iam nos ad Occidentale latus albi maris pervenisse superato *Candinas*, atque iuxta litus venientes sex Russorum naves vidimus, ad quas tendentes compellavimus eos, interrogantes quam procul abessemus à *Kildwyn*, & licet nos probè non intelligerent, nobis tamen ita demonstrarunt, nos procul adhuc inde abesse, tanquam existentes ad Orientale latus *Candinas*. Diductis ab invicem palmis significare volebant nobis primùm esse superandum Album mare, atque nostrum lintrem nimis parvuum esse, magnum periculum nobis imminere, si tali lintre per illud navigare vellemus, & *Candinas* adhuc à nobis abesse versus Arctozephyrum. Interea petijmus ab illis panem, nobis autem unum dederunt, quem ita siccum rodentes remis incumbendo absumpsimus: non poteramus tamen illis assentiri, nos adhuc esse eo quem indicabant loco, quia nobis persuadebamus, Album mare nos iam superasse. Ab illis autem digressi, secundum terrae crepidinem remis lintrem duximus, flante Aparctia. Circa Solem autem in Arctozephyro existentem, Notapeliotem secundum nacti, secundum continentis crepidinem vela fecimus, & vidimus ad dextram magnam Russicam navē, quam arbitrabamur ex Albo mari advenisse,

15. Augusti.

Vt apud sex Russorum naves venientes, ipsi de nostro cursu instruxerunt, sed eis credere noluimus.

Vt ad Russicam navem venerimus, cùm arbitraremur Album mare nos superasse, atque ut Russi nos docuerunt, Candinas cuneum nos nondum attigisse, in nos multa beneficia conferentes, & annonam nobis vendentes, veluti laridum, farinam, butyrum & mel, quibus valde recreati sumus, & gaudentes rectum cursum quem sequi deberemus nobis demonstratum esse, sed valde maesti nostros socios à nobis seiunctos esse, & in mari versari.



xvi. Augusti mane tendentes ad Arctozephyrum, comperimus nos in Sinum quendam penetrasse, & cursum dirigentes ad Russicam navem quam ad dextram conspexeramus, ad eam magna cum difficultate & labore pervenimus. Ad Russos venientes circa Solem in Notapeliote existentem, cum vento vehementer flante, interrogavimus 16. Aug.

gavimus

Vt denuo ad Rußicam navem pervenimus quæ nos instruxit omnis generis annona peramicè.

Rußi magnã benevolẽtiã erga nostros usi.

gavimus an vicini essemus *Novæ Zembla* de Col sive *Kildwyn*: sed illi agitato capite, nobis significabant *Zembla* de *Candinas* esse, non adhibebamus tamen fidem, sed ab ijs petijmus aliquid cibi, illi nobis aliquot passores vento exsiccatos dederunt, pro quibus Nauclerus pecuniam numeravit: nos ab ijs discedentes vela fecimus ad superandum locum in quo consistebant, ut in mare procurrebat, quod ipsi animadvertentes nos aberrare: & æstum iam magna ex parte recessisse, binos è suis ad nos in parva cymba miserunt cum magno pane quem nobis dederunt, & indicarunt ut ad eorum navem rediremus, se velle plura nobiscum colloqui & instruere. Nos gratiam referre volentes, nummum argenteum illis dedimus cum panno lineo: sed illis apud nos hærentibus, qui in navi erant, attollebant laridum & butyrum, ad nos incitandos ut ad ipsos veniremus; ivimus ergo, & demonstrarunt nobis, adhuc nos esse ad Orientale latus *Candinas*: sed producta nostra Hydrographia, eam ipsis ostendimus, ex qua nobis demonstrarunt, ad Orientale latus Albi maris & *Candinas* adhuc nos esse: hoc intelligentes, anxij eramus, nobis adeo longum iter adhuc esse conficiendum, & Album mare superandum, & maximè solliciti eramus de nostris socijs qui in scapha erant, præterea quod nos (licet iam per 22. milliaria in mari navigassemus) longius progressi non essemus, & quod nunc demum Albi maris ostium nobis esset superandum cum tam parva annonæ quantitate: propterea Nauclerus de Russis, tres farinæ saccos, quinque carnis suillæ quadrantes, vas fictile plenum Russico butyro, & doliolũ plenum melle, in annonam pro nobis, & nostris socijs, cũ ad eos veniremus, redemit. Cũ interea æstus desiisset, cũ maris recessu vela facientes egressi sumus per eundem exitum, per quem ad nos venerat parva cymba, & ingressi mare, secundo Notapeliote, navigavimus versus Circium, observavimusque cuneum procurrentem quem censebamus esse *Candinas*, sed cursum prosequuti, observavimus continentem versus Arctozephyrum converti. Sub vesperam, Sole in Arctozephyro existente videntes nos remigatione non multũ promovere, & Aestũ magna ex parte recessisse, istic hæsimus, coximusque pultem ex farinâ & aquâ, quæ additis larido pingui, & pauco melle, nobis optimi saporis visa est: sed valde anxij eramus nostrorum sociorum causâ, qui ubi hærerent, ignorabamus.

17. Aug. XVII. Ad anchoram fixi, summa aurora, vidimus Russicam navem ex Albo mari egredientem. Quâ conspecta, remis ad eam contendimus, ut ab eis edoceremur: nobis ad eos venientibus, statim sponte panem obtulerunt, & ut potuerunt significarunt, se cum nostris socijs colloquutos, & 7. homines in scapha fuisse, cumque difficulter id intelligere vel credere possemus, apertioribus indicijs significarunt, 7. digitis erectis, & demonstrantes nostrum lintrem, declarare volentes huiusmodi apertam naviculam fuisse, atque se illis panem, carnes, pisces, & alia vendidisse, Cumque apud eorum navem hæreremus, vidimus pyxidiculam nauticam, eam agnovimus nostri Navigationis moderatoris fuisse: quam etiam nobis ostenderunt. His probe intellectis, interrogavimus quamdudum id contigisset, atque ubi illos reperissent, significarunt pridie contigisse: breviter magnam benevolentiam nobis demonstrarunt, quapropter eis gratias agentes discessimus, læti nostros socios ab ipsis annonam accepisse, de ea enim maximè eramus solliciti, quandoquidem sciremus quàm exigua illis esset, cum à nobis aberrarent. Remis igitur diligenter incubuimus, ad eos assequendos, metuebamus enim ut parum annonæ à Russis accepissent, & desiderabamus de nostra illis impartiri. Cùm porrò magno cum labore toto die secundum terræ crepidinem remigassemus, circa mediam noctem, aquæ dulcis rivum invenimus, eam ob causam excendentes, aquam recentem hausimus, insuper cochleariæ folia legimus, quando autem discessum parabamus, nobis istic hærendũ fuit, quia AEstus recesserat. Sedulo observabamus, an *Candinas* & quinque cruces, de quibus Russi nos monuerāt nobis apparerent, sed nullas vidimus.

18. Aug. XVIII. Mane circa Solem in Apeliote existentem, ad iter expediendum, lapidem (quo anchoræ loco utebamur) sustulimus, & secundum continentem remis lintrem impulimus usque ad meridiem: tum conspeximus cuneum procurrentem, cum umbra quarundam crucium, quas, propius accedentes, perfectè observare potuimus, & circa Solem in Zephyro versantem, manifestè animadvertimus continentem versus Zephyrum & Notozephyrum vergere, eam ob causam ex ijs signis manifestè agnovimus, *Candinas* cuneum seu angulum esse, ad ostium Albi maris, quod nobis superandum erat, & à nobis tantopere desideratum. Hic cuneus facile agnosci potest, cùm propter 5. cruces ipsi impositas, tum quia eius duo latera conversa sunt, unum ad Notapeliotem, alterũ ad Notozephyrum: cùm iam vellemus inde navigare ad Occidentale latus Albi maris, in *Norwegicam* oram, comperimus vas unum aquæ effluxisse, Itaque in continentem regredi & recentem aquam inferre cogitabamus, sed quia undique fluctus adeo augescebant, non ausi sumus, & Arctapeliotem secundum nacti (quem negligere non oportuit) in Dei nomine discessimus circa Solem in Arctozephyro existentem, & tota eâ nocte, & sequente die vela fecimus felici progressu, ut duntaxat sesquihorâ toto illo tempore remis usi fuerimus, & sequẽte etiam nocte secunda fuit navigatio, sic ut postridie circa Solem in Cæcia existentem continentem videremus in sinistro latere Albi maris, quod deprehendimus tamen ex maris fremitu concussi ad litus, ante quam conspiceremus. Animadvertentes porrò terram esse scopulis plenam, & diversam ab ea quæ in Orientali latere Albi maris est plana, arenosa, & paucis montibus prædita, certo statuimus, nos Occidentale Albi maris latus attigisse, ad Lappiæ limites, Deo gratias agentes, quod circiter 30. horarum spatio, trans Album mare nos perduxisset 40. circiter milliaribus latum, cursus autem noster fuerat versus Zephyrum, flante Arctapeliote.

Vt post longos errores ad Occidentale latus Albi maris pervenimus, ubi Rusicam navem reperimus cum 13. hominibus, à quibus peramicè fuimus excepti in ipsorum ædibus & cibus datus, apud quos duos Lappones cum uxoribus & liberis invenimus misere viventes: eorum vestes & ritus: ut præterea nostri socij qui à nobis seiuncti fuerant, inopinato ad nos istic venerunt.



XX. Augusti, cùm ante continentem pervenissemus, Arctapeliotes nos deseruit, & vehementer flare cœpit Arctozephyrus, quamobrem nos parum progressuros animadvertentes, consultum iudicavimus interea post aliquot rupes concedere: Proximi continenti facti, aliquot cruces & signacula ipsis imposita vidimus, ex quibus intelleximus istic commodam navium stationem esse, ingressi igitur sumus. Paululum ingressi, vidimus magnam Russicam navem istic stantem, ad quam omni conatu remigavimus, præterea aliquas ædes habitatas. Fiximus nostrum lintrem proxime Navem, & vela supra lintrem expandimus, quia iam imber cadebat. Deinde in continentem egressi, ad ædes illas concessimus, in quibus perbenigne fuimus excepti: nos enim in sua vaporaria deduxerunt, atque nostras vestes madentes reficcarunt, &, elixatum piscem proponentes, amicè nos ad edendum invitarunt. In istis ædiculis 13. numero fuerunt, & singulis diebus mane cum binis cymbis ad Piscationem proficiscebantur, quibus bini illorum præerant. Valde sobriè vivebant, piscem cum pisce edentes. Sub noctem comparantes nos ad reditum in lintrem, Naucleruin & me invitarunt, ut in suis ædiculis maneremus. Nauclerus gratias illis agens, ad lintrem redijt, ego verò apud eos illâ nocte hæsi. Præter illos 13. homines, istic etiam fuerunt duo Lappones cum tribus mulieribus, & puello; qui miserè vivebant ex reliquijs quas Russi illis dabant, nunc piscis fragmento, nunc aliquot piscis capitibus à Russis proiectis, quæ ipsi cum magnâ gratiarum actione accipiebant, adeo ut admiraremur eorum miserum statum & penuriam, licet noster status etiam miser esset: sed, ut apparebat, ea vita illis erat quotidiana: nobis autem istic hærendum fuit, quia Arctozephyrus flabat, nobis adversus.

20. Aug.

Lapponum paupertas.

XXI. Pæne toto die pluit, levius tamen à meridie: noster autem Nauclerus recentes pisces emit, quos deinde coctos manducavimus ad saturitatem, quod iam multo tempore non erat factum, confecimus etiam pultem ex farina & aqua, qua vescebamur panis loco, adeo ut hilares essemus. A meridie, cessante interdum pluvia, in continentem ingrediebamur pæniitus ad quærenda cochleariæ folia, atque interim binos viros in monte conspeximus,

21. Aug.

mus,propterea dicebamus invicem. Vicinis his locis plures debēt agere homines, veniebant enim illi adversum, in ipsos tamen animum non adhibentes, revertebamur ad nostrum lintrem & tuguria illa. Duo autem illi viri qui in monte(erant autem è nostris sodalibus)videntes Russicam navem,ex monte descenderunt, ad comparandum aliquem cibum,nam quemadmodum inopinatè eò venerant, nec pecunias attulerant, constituerant par braccarum excutere (ut bina aut tria paria induxerant) & illud permutare cum cibis: sed ut ex monte descenderunt & propinquiores facti sunt,viderunt nostrum lintrem apud Navem, & nos illos advenientes agnovimus: quā ob rē vtrimque valde fuimus lætati,& narravimus invicē nostra infortunia;nos,quòd in magno periculo, & in summâ egestate versati essemus;illi,quod maiora adhuc perpessi essent quàm nos,Deo tamen gratias agentes, quod nos non deseruisset,sed nobis vitam concessisset & rursus coniunxisset.Atque sumpto simul cibo, & potu, qualis in Rheno apud Coloniam fluit,statuimus ut ad nos venirent,& porrò simul progrederemur.

Denuo nobis coniuncti sunt qui lintre vehebātur, postquam pænè 11. dierum spatio à nobis aberrassent.

22. Augus. XXII. Augusti, venerunt nostri socij apud nos,circa Solem in Vulturno existentem, cuius rei causa magno gaudio perfusi sumus,& compellavimus tum Russorum cocum,ut ex farina quæ in uno sacco comprehensa erat nobis panes pinseret & coqueret,mercedem illi daturos,quod se facturum recepit.Interea reducibus à mari piscatoribus,noster Nauclerus ab eis redemit quatuor Asellos maiores,quos coctos edimus.Nobis cibum sumentibus,Russorum Præfectus ad nos venit,atque animadvertens,nos panis penuriam pati,panem allatum ivit,quem nobis dedit,licet autem eos invitaremus,ut nobiscum cibum sumerent,ab illis impetrare nō potuimus,quia eorū ieiunium erat,& quia supra piscem coctum aliquid pinguedinis aut butyri asperseramus: Imo illos nullo modo inducere potuimus,ut nobiscum biberent,quia scypho nostro aliquantulum pinguedinis inhæserat, adeo superstitiosi observatores sunt suæ religionis & ieiunij,nec voluerunt vllum suum scyphum nobis mutuo dare ad bibendum,ne aliqua pinguedine inquinaretur.Arctozephyrus adhuc flabat.

23. Augusti. XXIII. Cocus ex nostrâ farinâ panes confecit & coxit.Cùm autem aër mitesceret, comparavimus nos ad discessum,deditque noster Nauclerus Præfecto Russorum à piscatione reduci,honorarium non contemnendum, propter officia nobis præstita,atque Coco suam mercedem, ijque magnas nobis egerunt gratias. Russorum autem Præfectus à nostro Nauclero petijt nonnihil pulveris tormentarij,quem obtinuit,& magnas gratias egit. Parati nunc ad discessum,ex lintre saccum farinâ plenum transtulimus in scapham, ut si forte ab invicem seiungeremur,haberent qui scaphâ vehebantur quod ederent. Sub noctem circa Solem in Zephyro existentem vela fecimus cùm plenus esset æstus flante Arctapeliote,versus Arctozephyrum,secundum terræ crepidinem.

24. Augusti. XXIIII. Perseverante adhuc Arctapeliote, pervenimus circa Solem in Apeliote versantem, apud 7. Insulas, ubi multos piscatores invenimus,qui percontati de *Cool* & *Kildwyn*, demonstrabant nobis versus Occidentem, quantum intelligere potuimus,& omnem benevolentiam nobis declarantes,asellum in nostrum lintrem coniecerunt, cuius precium,quod secundo vento ferremur,illis persolvere nequivimus, sed gratijs actis eorum comitatem admirabamur.Secundo igitur vento in hunc modum delati, circa Solem in Notozephyro existentem, easdem Insulas superavimus,& secundum terræ crepidinem piscatores quosdam invenimus, qui ad nos remis acti,interrogarunt,ubi nostra *Crable*(hoc est navis)esset: nos quàm commodè potuimus Russicè *Crable pro pal*, navem reliquisse.Illi hoc intelligentes,clamarunt *Cool Brabanse Crable*, ex quibus verbis intelleximus in *Cool* aliquas Belgicas naves esse, sed tamen his animum non admodum adijciebamus,quia versus *Waerhuysen* vela facere cogitabamus,metuentes ne Russi,vel Magnus Princeps,in suis limitibus nobis negotium facesserent.

25. Augusti. XXV. Notapeliote flante, vela facientes secundum litus, circa Meridiem *Kildwyn* in conspectu habuimus, ad Corum tendentes.Vela igitur facientes inter *Kildwyn* & continentem,circa Solem in Austroafrico versantem, ad Occidentalem cuneum *Kildwyn* pervenimus.Istic diligenter circumspiciebamus an aliquas ædes, aut homines videremus,naves tantum animadvertimus in littus pertractas,apud quas commodum locum ad nostrum lintrē sistendum invenimus,ut intelligeremus an aliqui homines istic versarentur.Eam ob causam noster Nauclerus in continentem descendit,& observavit quinque aut sex tuguria à Lapponibus habitata, quos interrogavit an illud *Kildwyn* esset,responderunt *Kildwyn* esse,& in *Cola Brabanse Crablen* vel naves inveniri, quarum duæ eo die essent vela facturæ.Nos,ut constitueramus versus *Waerhuysen* vela facere,inde discessimus circa Solem in Africo existentem,Notapeliote flante,sed vela facientibus adeo validus & vehemens redditus est, ut nocte in mari persistere non auderemus,fluctus enim adeo erant excitati,ut arbitraremur singulis momentis lintres absorptum iri,itaque versus continentem concessimus pone binos scopulos.Eo pervenientes, tuguriolum invenimus in quo tres homines cum magno cane,à quibus amicè sumus excepti,percontantibus de nostro statu,& quomodo eo pervenissemus, respondimus navem nos amisisse & eo venisse ad quærendam navem qua versus Hollandiam vehi possemus.Illi idem nobis dixerunt quod Russi antea,tres istic esse naves,quarum duæ illo die essēt vela facturæ. Tum interrogati an cum uno ex nostris per continentem *Cool* proficisci vellent, ad videndum an naves essent quæ nos in Hollandiam perferrent,mercedem nos illis daturos,excusarunt se non posse inde discedere,se tamen ultra montem perducere velle, ubi quosdam Lappones inveniremus, quos putarent nobiscum benè profecturos,quod etiam contigit;nam Nauclerus,adsumpto uno ex nostris,montem cum illis transcendit, & invenerunt aliquos Lappones,quorum unum conduxerunt,ut cum uno ex nostris iret, mercede propositâ duorum argenteorum nummorum octo regalibus æstimatorum.Lappo,adsumpto sclopo, profectus est cum nostro,

Magna benevolentia, & beneficia quibus Lappones erga nos usi.

noſtro, qui harpagonem habebat, eodem adhuc die, ſub noctem, Apeliote & Cæcia flantibus.

Kildwin delineatio, atque ut ad tres Ruſſos pervenimus in tuguriolo habitantes, & iſtic intelligentes nos Cola non procul abeſſe, ab ipſis impetravimus ut Lappones nobis demonſtrarent, quorum unum mercede conduximus ut cum uno ex noſtris Cola proficiſceretur, ad videndum an iſtic aliqua naves eſſent in Hollandiam navigatura, atque ut Iannis Cornelij f. qui ſuperiore anno nobiſcum fuerat, iſtic cum ſua nave hærebat, qui nobis attulit omnia neceſſaria, vinum, cereviſiam, panem, butyrum, ſaccharum & alia huiuſmodi, ad nos reficiendos, atque cum ipſo in Cola pervenimus. Vrbis deinde & Aedis mercatorum ſitus, atque quemadmodum Ruſſi, ab uno flumine in aliud tranſituri, ſuos lintres humeris ferunt.



XXVI. Auguſti amœno & ſereno aëre, & Notapeliote flante, noſtros lintres in continentem pertraximus, & quæ inerant extulimus, aëri exponentes: nos autem ad Ruſſos ſumus profecti ad calefaciendum, & cibos quos habebamus coquendum, & denuo bis in die cibum ſumpſimus, quandoquidem animadvertebamus interdum frequentiores homines reperturos. Bibimus ex eorum potu quem ipſi *Quas* nominant, confecto ex varijs panis mucidi fragmentis: qui nobis boni ſaporis viſus eſt, quia iam diu nihil præter aquam biberamus. Noſtrûm aliqui in continentem interiorem profecti, baccas cæruleas invenimus, cum Rubi ideæ fructu, quas legentes edimus & non inutiles comperimus, nam manifeſtè ſenſimus à ſtomacace nos liberari. Notapeliotes flare perſeverabat. 26. Aug.

XXVII. Turbidum fuit cælum, & magna tempeſtas ab Aparctiâ & Circio exorta, adeo ut nimis humili loco conſiſteremus, & cogeremur (præſertim inſtante pleno maris æſtu) ſcapham cum lintre altius ſupra terram pertrahere. Quibus in ſecuro altius collocatis, nos ad Ruſſos longius profecti ſumus, ad nos calefaciendum apud ipſorum ignem, & coquendum nobis neceſſaria; interea miſit Nauclerus unum è nautis ad littus & lintres, qui ignem in foco qui iſtic erat strueret, ut cum eò veniremus, ignem ſine fumo haberemus. Dum verò iſtic unus nauta adveniſſet, & alter ſubſequeretur, intumuit adeo aqua, ut utrumque lintrem abriperet, magno periculo ut perirent, quia in lintre bini duntaxat erant viri, in ſcaphâ terni; qui ſummâ cum difficultate & periculo à terræ crepidine lintres propellebant, ne allidere ntur. Nos id conſpicientes, valde anxij eramus, nec eos iuvare potera- 27. Aug.

mus, nihilominus Deo gratias agentes, ipsum nos eò perduxisse, unde amissis etiam lintribus, ulterius progredi possemus, quemadmodum apparebat. Illo die & sequente nocte, ingens fuit pluvia, magnam molestiam nobis exhibens, siquidem prorsus madebamus, nec ab ea nos præservare aut tegere poteramus: qui tamen in lintribus erant, in maiore adhuc periculo versabantur, quòd tali tempore in nudo littore permanere cogerentur.

28. Aug. XXVIII. Augusti commodo aëre, lintres in terram pertraximus, ad eximendum quod in illis restabat, & evitandum periculum in quo fuerant: ventus enim vehementer ab Aparctia & à Coro flabat. Lintribus in terram perductis tentoria expandimus, sub quibus lateremus, nam adhuc erant nebulæ & pluviæ, magno desiderio expectantes, nostri, qui cum Lappone profectus erat, reditum, ut intelligeremus an in *Cola* aliquæ naves essent, quibus in Hollandiam redire possemus. Interea dum istic hæremus, singulis diebus egrediebamur in continentem, cæruleas & Idææ rubi baccas, quarum usum nobis utilem inveniebamus, collecturi.

29. Aug. XXIX. Commodo etiam aëre, patienter expectabamus gratum de *Cola* nuncium, & singulis diebus, oculos intendebamus in montem circumquaque, an Lapponem cum nostro redeuntem videremus. Accidit, ut eo die iterum ad Russos concederemus nostri cibi ad eorum ignem coquendi gratia, & deinde ad nostros lintres rediremus, ut in ijs pernoctaremus. Interim conspectus est nobis Lappo ex monte descendens sine comite, quod admirati sumus, & nos sollicitos reddidit: sed, nobis vicinus, epistolam ostendit ad nostrum Nauclerum scriptam, quæ in nostrâ præsentiâ aperta, continebat eum qui illam scripserat, magnopere admiratum nostrum illuc adventum, quandoquidem nihil aliud cogitabat, quam nos iamdudum perijsse, & valde de adventu nostro lætari, se statim ad nos venturum & omnia necessaria allaturum, ad nos reficiendos. Satis mirari porrò nequibamus, quis ille esset, qui nobis tantum benivolentiæ & amicitiæ demonstrabat, nec in memoriam revocare poteramus quisnam foret, ex epistolâ tamen apparebat notum esse. Atque licet subscriptio esset *Iani Cornelij f. Ryp*, non poteramus tamen suspicari eum esse *Ianum Cornelij f.* qui præcedente anno, cum altera navi navigationem nobiscum instituerat, & circa Ursorum Insulam à nobis secesserat. Hoc accepto læto nuncio, Lapponi suam mercedem dedimus, insuper aliquas vestes, ut braccas & alia, ita ut prorsus Hollandico more vestitus esset, arbitrabamur enim nos in portu esse, deinde cibo hilariter sumpto, cubitum concessimus. Non prætermittendus etiam est celer reditus Lapponis, nam eundo, ut noster socius nobis retulit, faciendo iter magno gradu, duos dies & totidem noctes impenderunt, antequam in *Cola* pervenirent, in reditu autem, unico die perfecit iter, quod admirati sumus, differentia enim unius diei fuit, ut invicem diceremus, artem aliquam nosse debet. Nobis attulit perdicem, quam sclopo in itinere peremerat.

Lappo à nobis versus Cola emissus lætum nobis adfert nuncium.

30. Aug. XXX. Cœlo satis commodo, dubitabamus adhuc, quisnam esset ille *Ianus Cornelij f.* qui epistolam scripserat. Inter alios sermones hinc inde habitos, dictum fuit, eum esse posse qui superiore anno nobiscum navigationem instituerat, ea tamen opinio non diu perstitit, quia non minus de eius vitâ desperabamus, quàm ille de nobis, arbitrati illi peiora adhuc successisse, & iam diu extinctum esse. Tandem dixit Nauclerus, perlustrabo epistolas ad me scriptas, inter quas una est ab ipso exarata, ea nobis omnem dubitationem adimet. Epistolis explicatis, compertum est eundem *Ianum Cornelij f.* esse: eam ob rem non minus gavisi sumus de eius salute, quàm ille de nostra esse potuit. Interea dum in isto colloquio versamur, & nonnulli adhuc sibi persuadere nequirent, istum esse nostrum *Ianum Cornelij f.* advenit scapha Russica remigio acta in quâ fuit *Ianus Cornelij f.* cum nostro sodali qui cum Lappone missus fuerat, & in continentem egressi nobiscum ingenti lætitiâ fuerunt affecti, tanquam à morte liberatos nos utrimque videremus, quia ille nos, nos vicissim illum iamdudum extinctum existimabamus. Attulit nobis vas Rostvvicâ cerevisiâ plenum, vinum, adustum vinum, panem, carnes, suillum laridum, Salmonem, saccharum & alia pleraque, quæ nos valde recrearunt & iuvarunt. Atque hilares fuimus de tam insperatâ salute & mutuâ coniunctione, Deo infinitas gratias agentes pro ipsius misericordia.

Ianus Cornelij f. & nos denuo convenimus.

31. Aug. XXXI. Eadem aëris temperie perseverante, flabat Apeliotes, sed circa vesperam, cæpit ventus à terrâ flare, eam ob causam, adparavimus nos ad abitum versus *Colâ*, primùm Russis magnas gratias agentes, quod benignè nos excepissent, & honoratio illos remunerantes. Nocte circa Solem in Aparctia existentem pleno æstu inde solvimus.

SEPTEMBER. 1597.

1. Septēb. Prima Septembris mane circa Solem in Apeliote versantem ad sinistrum latus eius fluminis, quod *Cola* alluit, pervenimus, deinde vela fecimus in eo & remis lintrem impulimus donec æstus recessisset: Tum iacto lapide qui nobis anchoræ vicem præstabat in aquam, apud angulū quendā hæsimus, donec maris esset accessus, Deinde circa Meridiem cum maris accessu vela fecimus & remis lintrem impulimus, fere ad mediam usque noctem, tum denuo lapidea nostra anchora demissa, hæsimus usque ad sequentis diei auroram.

2. Septēb. II. Septembris mane, remis incubuimus adverso flumine, & quasdam arbores virentes in fluminis ripâ conspicientes, lætitiâ affecti fuimus, tanquam in novum aliquem orbem delati: toto enim illo tempore quo abfueramus, nullas arbores observaveramus. Pervenientes autem circa locum ubi sal excoquitur circiter tribus milliaribus intra *Colam*, istic aliquantulum hærentes, animum recepimus, deinde progressi sumus, & circa Solem in Coro existētem, ad *Iani Cornelij f.* navem pervenimus, in quam conscendentes, semel bibimus. Istic denuo generò indul-

indultum ab ijs qui lintre vehebantur, & ijs qui cum *Iano Cornelij f.* superiore anno navigationem instituerant. Deinde ulterius progressi, sub noctem in *Cola* pervenimus. Nonnulli in urbem profecti, alij in lintribus hæserunt, ad ea quæ inerant adservanda, quibus missa sunt edulia ex lacte & alijs rebus confecta, atque magnopere lætabamur, quod Deus pro sua misericordia è tantis periculis & difficultatibus liberatos eo perduxisset: nunc enim nos satis iam tuto loco esse arbitrabamur, tametsi olim apud nostros adeo incognitus fuit, ut quasi extra orbem situs æstimaretur, nunc vero arbitrabamur nos tanquam domi esse.

III. Septembris, extulimus omnia in terram, & respiravimus istic à difficultatibus itineris, fame, & ærumnis quas perpessi eramus, ad denuo sanitatem & robur adquirendum. 3. Septemb.

XI. Profecti Magni Ducis permissu, pertraximus nostrum lintrem & scapham in Mercatorum ædes, atque istic reliquimus, ad memoriam tam longæ nec unquam navigatæ viæ, quam cum apertis illis lintribus per quadringenta fere milliaria, in mari & secundum eius litora, usque ad *Cola* confeceramus, quod eius loci incolæ satis admirari non poterant. 11. Sept.

XV. Septembris omnes, cum bonis quæ habuimus, secundo flumine nave Russica delati sumus ad *Iani Cornelij f.* navem, quæ circiter milliare inde aberat, meridie autem cum ipsa nave vela fecimus circiter usque ad mediam viam donec angustias superassemus, ubi *Ianum Cornelij f.* cum nostro Nauclero expectavimus, qui se postridie subsequuturos dixerant. 15. Sept.

XVII. Sub vesperam venerunt *Ianus Cornelij f.* & noster Naucleras, & postridie circa Solem in Apeliote existentem, ex flumine *Cola* alluente, vela fecimus Deo auspice domum versus. Flumen egressi, secundum terræ crepidinem vela fecimus versus Mesothraciam, flante Notozephyro. 17. 18. Septemb.

XIX. Circa Solem meridianum ante *Waerhuysen* pervenimus, ubi anchorâ demisimus, & in continentem descendimus, quia *Ianus Cornelij f.* plures merces in navem inferre volebat, atque istic hæsimus usque ad 6. Octobris, quo tempore vehementes venti flarunt ab Aparctia & Arctozephyro. Interea autem dum istic hæsimus, magis respiravimus ut à nostris morbis accuratius liberaremur, & robustiores fieremus: tempore enim opus erat, quia nimis exhausti eramus. 19. Sept.

VI. Octobris circa vesperam, Sole in Notozephyro existente, cum Deo, à *Waerhuysen* solventes, vela fecimus domum versus: & quandoquidem illa navigatio iam est cognita, de eâ mentionem faciendam non duxi, nisi quod 29. Octobris in Mosam pervenimus, flante Cæcia, & postridie mane in Maslandt egressi, vecti sumus per Delfos, Hagam, Harlemum, & I. Novembris circiter meridiem pervenimus Amstelredamum, ijsdem vestibus induti, quibus in *Nova Zembla* usi eramus, pellibus albarum vulpium suffultos pileos gestantes, & *Petri Hasselaer* ædes sumus ingressi, qui unus è Gubernatoribus civitatis Amstelredamensis fuerat, ad instruendas duas illas naves, videlicet *Iani Cornelij*, & nostri Naucleri. Nos reduces plurimi sunt admirati, quia iamdudum nos extinctos iudicaverant, is rumor per urbem sparsus, pervenit etiam in Principis aulam, in quâ tum temporis Magnifici viri Cancellarius & Legatus Serenissimi Regis Daniæ, Norvvegiæ, Gottorum & Vandalorum, convivio erant excepti. Propterea statim à Prætore & binis è Magistratu fuimus accersiti, & istic coram prædicto Legato & Consulibus nostram navigationem & pericula perpessa retulimus, deinde domum, qui cives ejus urbis erant, se receperunt: reliqui in diversorium illis destinatum traducti, ubi per aliquot dies hærentes, accepta mercede, tandem ad suos profecti sunt. 6. Octob. 1. Novemb.

Eorum porrò qui ex ea Navigatione redierunt, hæc sunt nomina, *Iacobus Heemskerck*, Legatus & Naucle-rus, *Petrus Petri f. Vulpes. Gerardus de Vera. M. Ianus Vulpes*, Cheirurgus, *Iacob Iani f. Sterrenburgh. Leonardus Henrici f. Laurentius Willelmi f. Ianus Hillebrandi f. Iacob Iani f. altipes. Petrus Cornelij f. Ianus à Buysen. Iacob Everardi f.*

FINIS.

DISTICHON COMPLECTENS ANNVM QVO BATAVI A TERTIA NAVIGATIONE AD SEPTENTRIONEM REDIERVNT.

NaVe geLV CInCta Boreæ VI In LIttore ZeIMbLæ,
NaVCLerVs bataVVs LIntre ſVos repetIt.

Monendus porrò Lector, Auctorem in hoc Diario per milliare intelligere, iter quod horæ ſpatio ab expedito pedite confici poteſt, Germani ſuperiores & inferiores myle appellant, æquans quatuor vel etiam quinque Italica milliaria.

Præterea, ut, ante quam ad Diarij lectionem ſe comparet, primùm mendas corrigat, quæ demum poſt illud cuſum fuerunt obſervata.

Pagina igitur 3. facie a. verſu 41. legendum diligentem. facie b. verſu 32. Aparctia. verſ. 35. navigarũt. pag. 4. a. verſ. 12. Arctozephyro. verſ. 25. Meſoboream. verſ. 32. è 90. verſ. 51. anfractus. b. verſ. 8: 53. verſ. 9: 53. pag. 5. a. verſ. 12. prorſus. pag. 6. a. verſ. 45. Seſquimilliari. verſ. 46. arenoſoque. verſ. 51. gradus 45. verſus 52. graduum 15. b. verſ. 1. Notozephyro, verſ. 17. voluntates. pag. 7. a. verſ. 2. ulnas. verſ. 32. Zephyrum ob. b. verſ. 19. tertium. pag. 8. a. verſ. 16. milliaria. verſ. 19. Liburnica. b. verſ. 36. repeterent. pag. 9. a. verſ. 25 longè. verſ 42. primarius. b. verſ. 12. converſa veli. pag. 10. a. verſ. 27. eſſet. b. verſ. 24. glaciem, pag. 11. b. verſ. 49. parte. pag. 12. a. verſ. 20. truculentus. b. verſ. 18. Ioannes. pag. 13. b. verſ. 24. Vlieland, pag. 14. a. verſ. 2. ſecantium. verſ. 3. pars. b. verſ. 12. auxilio, pag. 15. a. verſ. 17. Cornelij. pag. 16 a verſ. 32. alterã. b. verſ. 2. terram, dum verſ. 43. detractam. verſ. 51. natare. pag. 17. a. verſ. 18. montorio. pag. 18. b. verſ. 16 precibus propelli. verſ. 33. egeſtate. verſ. 44. delatam. pag. 20 b. verſ. 21. culpi- verſ. 22. illi expungendum. pag. 22. a. verſ. 53. exonerandæ. pag. 24 a verſ. 8. erant. verſ. 20. Capricorni. b. verſ. 25. immũditiem. pag. 25 b. marg. 26 Ianua. pag. 26. b. verſ. 1. Delineatio ferocis. pag. 28 a. verſ. 55. gratias. verſ. 56. nos expungendũ. pag. 29. a. verſ. 27. diſcedendi. pag. 30. a. verſ. 6. fore. b. verſ. 21. binos. pag 32. a. verſ. 1. annonam. pag. 34. b. verſ. 19. ſæpe nos expungendum nos. verſ. 20. nuo nobis. verſ. 22. augurabamur. pag 35. b. verſ. 17. nobis ſi. pag. 37. b. verſ. 5. propterea.

Si quas adhuc obſervabit, eas prò ſuo arbitrio corrigat.